# HELVETIAE GRATVLATIO ad Galliam

*DE HENRICO HV-*
IVS NOMINIS IV.
*Galliarum & Nauarræ Rege Christianissimo.*





CIƆ. IƆ. XCI.



GENEROSISSIMO AMPLISSIMOQVE VIRO Domino N. Brulartio, Sillerij Domino, &c. Christianiss. Regis Gall. & Nauarr. Consiliario ac Legato ad Heluetios, Domino suo plurimùm obseruando.



*Dubium profectò non est, vir amplissime, quin Deus summus ac sapientissimus rerum humanarū rector atque moderator, te singulari quodam suo consilio atque benignitate patriæ nostræ, dubiis præsertim hisce periculosisque nostris tem-*

poribus, legatum, ad communem nostram salutem, esse voluerit. Ingentes itaque meritò, cùm Deo præcipuè, tum Regibus tuis Christianissimis Henricis III. & IIII. gratias & agere & habere debemus, quòd alter quidem honorificum hoc legationis munus ad te detulit, tuæq; commisit fidei, alter verò, ceu legitimus eius successor, eundem honorem approbauit ac confirmauit. Etsi verò magnus & amplus est hic tuus honos, tamen idem, hoc præsertim tempore, vt experientia quotidiana testatur, onus est magnum, graue & quasi intolerabile, plurimis curis, sollicitudinibus, molestijs, laboribus atque periculis implicatum. Verùm quô maius, quô grauius & laboriosius est hoc tuum munus, eò maior profectò, Illustrior & admirabilior est tua in illo sustinendo atque gerendo virtus, & quæ virtutis comes solet esse, laus atque gloria. Nam primùm quidem omnium, quum legati eorum à quibus

*bus mittuntur, & dignitatem amplitudinémque præ ſe ferre, & naturam, ingeniũ atque mores laudabiles referre, & exprimere debeant (iuxta peruulgatum illud, Quales oratores videris, tales eos à quibus miſſi fuerunt expecta) tu Regis tui perſonam ita profectò ſuſtines atque geris, vt in te Legato Regio regias planè & egregias virtutes admiratione, laude ac imitatione digniſſimas, quotidie cum maxima noſtra, non voluptate ſolùm, ſed etiam vtilitate, cernere nobis ac intueri liceat. De his equidem libentiſſimè hoc in loco multa dicerem, niſi cùm illarum ipſarum magnitudo ac dignitas, quibus orationis meæ tenuitas nequaquam reſpondere poſſit, tum tuus meúſque pudor atque modeſtia id me facere prohiberent: ne auribus hoc tuis dare, & adulatoris potiùs, quàm laudatoris veri partes agere videar. Verùm ipſa tua dicta, facta, atque conſilia quotidiana, clara & illuſtria ſunt*

illarum indicia, testimonia & argumenta: ita vt aliena prædicatione non indigeant.

Secundo autem loco Legatis nihil magis propositum, nihil prius & antiquius esse debet, in hoc suo munere, quàm vt & illorum, à quibus mittuntur, & illorum ad quos mittuntur paci, amicitiæ, concordiæ, dignitati denique atque saluti, omni opera studióque suo consulant. Et hoc quidem optimum, meo iudicio, ac præstantißimum est legationis genus atque munus, quod nimirum pacis atque concordiæ inter populos, vel ineundæ & contrahendæ, vel fouendæ atque tuendæ, vel etiam redintegrandæ gratia suscipi & obiri consueuit. Hi Legati pacis amicitiæq́; interpretes atque nuntij Caduceatores olim fuerunt dicti, quòd pacis insignia gestarent: ac propterea vel ipsum nomen semper fuit iucundissimum. Hac ipsa autem de causa hæc, quam tu nunc

magna

*magna cum tua laude, magnóque patriæ nostræ fructu geris, instituta est à Regibus Gall. Legatio Heluetica: nempe, vt auita & antiqua illa Gallorum & Heluetiorum amicitia, atque societas sarta tecta conseruetur. Nec verò, (quod hîc silentio præterire non possum) recens, sed antiquissima, vt antiqui annales atque historiæ testantur, inter Gallos & Heluetios, etiam Christianæ religionis adhuc planè expertes: vt loci, morum atque studiorum, ita amoris & amicitiæ, animorum & armorum fuit affinitas atque cognatio. Vtraque enim gens, vt testis est oculatus & locuples C. Iulius Cæsar, cùm aperta, ingenua, candida, ab insidijs, dolis, fraudibus, simulationibus atque dissimulationibus aliena, tum magnanima, fortis ac bellicosa, socialia sæpe arma sumpsit, belláque cum magna laude atque felicitate aduersus Romanos & alias gentes gessit. Vnde*

*Taciti, historici fide dignissimi, verba illa hîc tacere non possum, Heluetij, inquit, gens Gallica, olim armis virisque, mox memoria nominis clara.*

*Atque hîc quidem, vt ad te, vir amplissime redeam, tibi in hoc Legationis tuæ munere finis, quasique scopus est propositus, ad quem perpetuo collimas, ad quem omnes curæ, cogitationes, consilia atque conatus tui referuntur. Is autem est, vt & inter nos ipsos mutua pax atque concordia vigeat, & vt antiqua illa nostra cum patria tua amicitia atque coniunctio sancta inuiolatáque permaneat. Hoc autem tu non Caduceo aliquo atque virga, sed virgula, vt ita loquar, diuina, hoc est diuina ope atque auxilio, & tua prudentia, industria, comitate, patientia & quidem in primis illo fidei & sinceræ veritatis, rebus in omnibus gerendis studio, semper & sanctißimè abs te obseruato, felicißimè effecisti & con-*

*sequu-*

sequutus es. Vt enim in Rege tuo Christianissimo summa integritas, summáque fidei constantia & animi candor elucent: ita in te, ipsius Legato, qui integritatem summam, veritatem & candorem in dictis & factis tuis semper coluisti. In hoc autem ipso, rursus Regis tui Christianissimi refers naturam atque ingenium: imò vt tuo Regi ita tibi eius Legato, nihil est charius, magisque curæ quàm pax, quies, amicitia quæ cum dignitate atque salute sit coniuncta. Quemadmodum autem tu, tuique similes Legati, propter hoc pacis concordiæq; studium, omni laude, amore, & obseruantia sunt dignissimi: ita contrà magnam vituperationem merentur, & à finibus nostris repellendi atque ad extremos Indos & Garamantas relegandi sunt, Legati aliunde superuenientes, si qui sunt, vel vnquam erunt, qui antiqua & sacrosancta fœdera & amicitias populorum dirimere, quíque dissensionum at-

que discordiarum semina spargere conantur. Hi enim augustum & sacrosanctum Legationes munus, quod, cùm hominum præsidio munitum: tum etiam diuino iure vallatum est, & ad humani generis salutem institutum, violant. In quorum legationes optimè quadrare videtur illud Catonis dictum, quum olim trium quorundam Legatorum Legationem salsè & facetè perstringens, illam neque caput, neque pedes, neque cor habere dixit. Ita nos dicere possumus, eiusmodi legationes quæ membra illa diuellere conantur quæ inter se coniunctißima esse debent, neque caput, neque pedes, neque cor habere. Tua verò Legatio, quæ hoc in primis studet efficere, vt vtriusque populi animi, tanquam membra inter se quàm arctissimo pacis, amicitiæ & concordiæ vinculo cohæreant, vnde vtriusque nostræ patriæ dignitas, salus & incolumitas dependet, verißimè, optimóque

iure

*iure caput , pedes & cor habere dicenda est.*

*Porrò , quem Legationis diximus esse finem , idem Gratulationis quoque huius nostræ est finis : nimirum ut patriæ tuæ ciues depositis abiectísque armis , animísque infestis & funestis in gratiam tandem redeant : factáque rursus animorum reconciliatione , pacem atque concordiam , qua nihil suauius & vtilius , inter se colant. Deinde vt antiqua illa nostra cum patria vestra societate & amicitia , quæ nobis vtrisque laudabilis , gloriosa & fructuosa est , non conseruetur solùm , sed etiam augeatur & corroboretur: in quo tu quidem omnes animi ingeniíque tui neruos intendis. Quæ quum ita se habeant , magnopere te rogamus , vt Gratulationem hanc nostram , tenui quidem crassóque stylo , quasi filo contextam , sed ex animo communis salutis dignitatisque studiosissimo , profectam , tuo*

*fauore, gratia, auctoritate & patrocinio complecti, à maleuolorum, ſi qui erunt, calumnijs & obtrectationibus vindicare: & denique cùm vniuerſæ tuæ patriæ chariſſimæ, tum Patri eius optimo ac ſapientiſsimo, hoc eſt Regi Chriſtianiſſimo, cæteríſque regni proceribus, meliore de nota commendare non graueris. Erit id, vt nobis perſuademus tuæ humanitati, tuæ erga Deum, Regem Patriámque communem charitati, tuæ denique dignitati atque muneri conueniens & conſentaneum, magnúſque hinc ad priſtina tua in nos merita, noſtrámque ergà te beneuolentiam, & obſeruantiam cumulus acceſſerit.*

*Pluribus apud te virum & ſapientiſſimum & humaniſsimum, & communi ſalutis amore flagrantiſsimum, denique grauiſsimis, hoc præſertim tempore, occupationibus diſtentum, opus eſſe minimè putamus. Deum ad extremum orabimus,*

*vt*

*ut diuturnam adhuc pro immensa & infinita sua misericordia, tibi vitæ ac valetudinis usuram impertiat, quò diutius communi nostræ patriæ magno usui atque decori esse possis: donec tandem æternis illis honoribus atque gaudijs, quæ pios omnes, & de patria benè meritos certò manent, Diuina gratia atque clementia potiaris.*

Amplitudini tuę addictissimus
I. G. S. Philopatris.



H

*D*

# HELVETIAE GRATVLATIO ad Galliam

*DE HENRICO HVIVS NOMINIS IV. Galliarum & Nauarræ Rege Christianissimo.*







*H*



He
Me
aut
ric
cef
co
pro
Re
atc
ço
liæ



# *HELVETIAE GRATV-* LATIO AD GALLIAM *de Henrico huius nominis* IV. *Galliarum & Nauarræ Rege Christianissimo.*





OSTQVAM Gallia, socia fidelissima, & quasi soror mea germana, atque charissima, multorum literis, nuntiis, fama denique ipsa, quæ totum statim orbem Christianum peruasit, intellexi, Henrico III. Rege tuo, immani, proh dolor, Monachi cuiusdam nomine Clementis, reuera autem demẽtis, manu sauciato & extincto, Henricum Regem Nauarræ in Regno ei statim successisse, magna equidem animi perturbatione commota, variéque affecta fui. Nam cùm improuisus, immaturus, acerbus, & indignus iste Regis tui interitus, qui in totius regni damnum atq; dedecus videtur redundasse: tùm, quæ illum consecuta est, antiquissimæ clarissimęque familiæ Valesiæ, quæ tot sæculis Regno præfuit, su-

bita miſerabiliſque extinctio, animum profe-
cto meum incredibili dolore ſeu mœrore potiùs miſericordiáque perculit ac perturbauit. Nam quo tempore Rex ille tuus approbantibus & adiuuantibus totius Regni proceribus, innumeris ſtipatus cùm domeſticis, tum peregrinis copiis & auxiliis maximum fideliſſimumq; in Regno ſuo liberando atque pacando, & in coniuratorum & rebellium manu opprimenda, non ſine magna ſpe fœliciſſimi ſucceſſus, conatum contentionémque adhibuit, ecce ſubitò & præter omnium opinionem in ipſo conclaui ſuo, vbi tutiſſimus ac extra omnem teli iactum poſitus videbatur, à monacho (quo quidem hominum genere familiariſſimè antea vſus fuerat) vulnus in ventre venenatum ac mortiferum accipit, ex quo paulò poſt ei moriendum fuit: quo vulnere, atque morte grauis, ac penè inſanabilis mortiferáque plaga toti regno fuit impoſita. Sed ex graui, & acerbo hoc meo dolore reficit me plurimum & recreat, atque adeò magno gaudio, lætitiáque afficit noui huius tui Regis, vt inopinata ita fœlix, fauſtáque ſucceſſio, qua Deus Opt. Max. vobis omnibus quaſi ſignum aliquod ad bene de totius regni ſtatu ſperandum ſuſtuliſſe, & ad letale iſtud vulnus, quod prioris Regis morte vobis pro ſua Iuſtitia inflixerat, rurſus pro ſua miſericordia curandum atque ſanãdum quaſi medicam & ſalutarem manum porrigere videtur. Nunc enim demum in ſpem maximam ingredior fore vt bello iſto ciuili, & peſtifero, (cuius quidem vim funeſtam ipſa quoque
experta

experta ſum aliquot fortiſſimorum meorum ciuium millibus amiſſis) inteſtino tam diuturno, támque & tot tãtiſque moleſtiarum & calamitatũ tempeſtatibus (quæ indiuiduę bellorum præſertim ciuilium ſolent eſſe ſociç atq; comites) perfuncta atque liberata, tandem aliquando priſtinæ tranquillitati, concordiæ, libertati, dignitatique reſtituaris, & poſt triſtia iſta nubila, poſt diram tetrámque iſtam noctem atque caliginem, quæ patriæ tuæ fuit offuſa, Phœbus tibi rurſus affulgeat, hoc eſt, pace candida ac ſerena, qua nihil dulcius, nihil iucundius, nihil ſuauius, nihil ſalutarius, frui rurſus tibi liceat.

Hæc cùm ita ſint facere non potui (id quod etiam officij mei ratio poſtulare, ſeu potius flagitare videbatur) quin pro ſingulari mea erga etiam te fide atque beneuolentia, pro maximis & innumeris tuis in me meritis, pro vicinitatis, próque antiqui & ſacroſancti fœderis, amicitiæque noſtræ neceſſitudine, de tanto, támque præſtanti & eximio hoc tuo bono, ſeu, vt veriùs dicam, Dei dono, atque munere (de quo mirum in modum lætor) tibi gratularer, & incluſam animo meo lætitiam, beneuolámque erga te voluntatem verbis quodammodo teſtificarer. Quam meam gratulationem ex animo, mihi crede, gratiſſimo, meritorum beneficiorúmque tuorum ſemper memore, ſalutis, fœlicitatis, dignitatiſq; tuæ cupidiſſimo, profectam, tibi pro pari tuo erga me amore, beneuolentia, atque fide, próque eximia tua humanitate gratam, acceptámque ſpero futuram.

Gratulor igitur tibi, ſocia amiciſſima & fideliſſima, & quidem verè, ſyncere, & ex animo gratulor, quòd priore illo tuo Rege orbata, alium ſtatim ſingulari Dei benignitate, nacta es Regem vere regium, & egregium, Regis nomine, & ſplendore, & noua hac, iuſta præſertim legitimáque regiæ dignitatis ad priorem illam quam à parentibus habuit, acceſſione digniſſimum, cui ſi, vt par eſt, & vt æquitatis, iuſtitiæque ratio poſtulat, te regendam permiſeris, & obſequentem, obedientémque præbueris, noli dubitare quin quæ multis iam annis miſerrima fuiſti, & afflictiſſima, fœliciſſima poſthac, ac florentiſſima ſis futura, & breui priſtinum fœlicitatis, dignitatiſque tuæ ſtatum recuperatura. Nec verò illum tibi tantum, ſed etiam mihi maximo & ornamento & emolumento, vſui atque præſidio ſpero futurum. Primo autem omnium perſuaſum hoc tibi exploratúmque eſſe velim, id quod eſt veriſſimum, & certiſſimum, de quo etiam ſæpe tibi cogitandum eſt, hunc Regem non caſu, & fortuna, ſed ſingulari Dei conſilio, atque nutu, non humanitus, ſed diuinitus, tibi obtigiſſe, & à ſupremo illo Cœli Imperatore, à potentiſſimo, miſericordiſſimóque illo Regum Rege, ac dominorũ Domino, ad te ex innumerabilibus iſtis tuis moleſtiis, ærumnis, calamitatibus atque periculis recreandam datum atq; donatum eſſe, id quod vel ſolum te ad illum ambabus, quod dicitur, vlnis amplectendum, & amore, honore, obſeruantia, obediẽtiáque debita colẽdum meritò exſtimulare debet.

Omnes

Omnes namque reges, ipsaque adeò regna & imperia non nisi diuina voluntate atque consilio constitui, ac fundari, & conuelli rursus, atque labefactari nemini profecto, nisi omnis non modò Christiani, sed etiam humani sensus, intelligentiæque experti dubium esse potest. Nam si, teste ipso Christo seruatore nostro, teste inquam locupletissimo, fidéque dignissimo, qui est ipsissima veritas, ne passerculus quidem, vilissima abiectissimáque auicula, passim (vnde etiam sic videtur dicta à Latinis) volitans atque obuia, sine Dei voluntate in terram cadit, si capilli quoque vilissima capitis nostri excrementa illi sunt numero, ita vt ne vnus quidem nisi illo volente defluat, atque pereat, si denique ipsæ sortes (quibus nihil magis videtur esse fortuitum) diuino numine reguntur, vt testis est Salomon Rex ille sapientissimus; quantò magis credēdum est Reges, regna, atque imperia, quibus in hoc sæculo nihil est maius, nihil excelsius, nihil magnificentius, & augustius, nonnisi singulari eiusdem Dei consilio, nutu, voluntate, & imperio in his terris cùm constitui, augeri, stabiliri, & conseruari, tum tolli rursus, atque exterminari. Per me, inquit Sapientia ipsa, Pro. 8. hoc est, mea voluntate, consilio, atque ope, Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant. Hinc apud Danielem. 5. Excelsus. i. Deus Opt. Max. in regno dominari, & cuicunque voluerit illud dare dicitur. Optimo igitur meritissimóque iure in Concilio Parisiensi, sub Ludouico Pio, & filio eius Lo-

thario, regibus Francorum, & impp. anno 829. post habitam disceptationem tandem iudicatum est, Reges regna tenere à Deo æterno potiùs quàm ab hominibus. Quid dicam quòd Ethnici quoque & prophani homines, vera licet fide, religionéque destituti, tamen duce & magistra natura, idē senserunt, iudicarunt, scripserũt? Quantò magis igitur nos Christiani id sentire, id iudicare, nobisque omnino persuadere debemus, qui sacris imbuti mysteriis, qui diuinis, iisq; certissimis edocti oraculis, certò credimus, vniuersum hunc mũdum, omniáque tam minima, quàm maxima, Dei Opt. Max. volũtate, potestatéque ex nihilo producta perpetuò cõseruari & administrari? Vnde (vt ex innumeris pauca tantùm quædam delibem) antiquissimi celeberrimíque illi poëtæ Hesiodus & Homerus (qui Ethnicorum quasi Prophetæ, ac vitæ, morum, officiorúmque omnium sapientissimi magistri extiterunt (Reges Διογενεῖς, Ioue natos, Διοτρεφέας Iouis alumnos, Iouisque satu procreatos appellarunt, quo quidem significarunt Regiam Maiestatem diuina prouidentia constitui, ac singulari eiusdem beneficio conseruari. Reliqui quoque Poëtæ idem sentientes neminem existimarunt rectè regnare, aliisque imperare posse, nisi eum, cui Deus ipse regnum imperiúmue destinasset: & idcirco reges ab ipso Deo precibus, sacrificiis, atque litationibus petendos esse censuerunt. Hinc Samnius, insignis nobilísque philosophus Ægyptius, non dubitauit Reges Dei tãquam supremi communis omnium mortalium

talium parentis adoptiuos, peculiaréſque filios appellare. Is enim cùm intellexiſſet Alexandrum illum Magnum Iouis Hammonis oraculo Iouis filium fuiſſe ſalutatum, admirantibus multis dixiſſe fertur, nequaquam id mirum ſibi videri. Nam cùm omnes mortales, Dei ſubiecti ſint imperio, ac poteſtati, illius certè qui inter ipſos homines imperium, ac principatum obtinet, non humanum, ſed diuinum potius munus, & officium eſſe exiſtimandũm. Addebat præterea Deum communem quidem & vniuerſalẽ eſſe omnium hominum parentem, ſed peculiari quadam ratione filios ſibi adſciſcere & adoptare eos, quibus regnandi, imperandique ius, ac poteſtatem committeret. Plura in hanc ſententiam ex prophanis literarum monumentis proferri poſſent, quæ breuitatis cauſa prætermitto. Quamobrem tu quoque nunc, ô Gallia, pro nouo hoc tuo Rege tanquam diuino dono atque munere, Deo immortali, perẽni, & inexhauſto bonorum omnium fonti, & auctori ingentes & immortales pro pietate tua meritiſſimè ages, & habebis gratias: Regémque ipſum tanquam tibi natum, tibi à Deo ipſo donatum (quem idcirco veriſſimè à Deo datum cognominare poſſumus, quod Philippi Auguſti Regis Gall. anno 1181. cognomen fuit) amore, obſeruantiáque debita complecteris, & iuſtis, meritiſque honoribus afficies. Nam præter oracula, legémque diuinam, præter legem naturæ, & cõmunem illum omnium gentium conſenſum (qui legis naturalis atque diuinæ vim obtinet)

plurima profectò non obſcura, & exilia, ſed clara, & illuſtria Regiæ maieſtatis, dignitatiſque veſtigia in illo cernuntur, clariſſiméque refulgent, quæ quidem ſunt veluti firmiſſima ſolidiſſimáque argumenta illum ſingulari quodam Dei fato (ſi ita loqui licet) hoc eſt decreto, atque conſilio tibi, miſeris præſertim perditiſque iſtis tuis temporibus atque rebus datum eſſe, illúmque regali hac dignitate, & amplitudine digniſſimum ſummè tibi meritò amandum, colendum, & obſeruandum eſſe arguunt, ac demonſtrant.

Vnde autem potiùs exordiar, quàm à vitæ illius ortu, atque natalibus, quæ quidem planè regia, optimíque auſpicij, hunc verum eſſe Regẽ, tibíque verè natum, & ab ipſo Deo eſſe deſtinatum declarant. Natus enim eſt à Chriſti in his terris ſalutifero ortu, anno M. D. LIII. quo anno grauiſſimum inter Henricum II. Regem tuum, & Carolum V. Imp. bellum geſtum eſt: vnde inter horrentia Martis arma, inter ipſos armorum ſtrepitus illum natum eſſe conſtat: quod ipſum bellicæ eius fortunæ, atque virtutis quoddam videtur fuiſſe præſagium. Quo etiam anno orbis terrarũ ſpes maxima Eduardus ſextus Anglorum Rex adoleſcẽs extinctus eſt: cuius demortui in locum Dei clementia mox voluit naſci Henricum tuum.

Natus eſt Idibus Decembribus, ſiue 13. eius menſis die, qui quidem S. Luciæ à veteribus fuit conſecratus. O diem verè genialem, almum, feſtiuum ac luculentum, non tam albo quàm au-

reo

reo notandum lapillo, quo nouus hic tuus Rex in lucem hanc mortalem, non Iunonis cuiusdam Lucinæ siue Luciferæ (quam Ethnici olim superstitiosissimè coluerunt) sed æternæ illius lucis, illius stellæ Iacob, illius Solis iustitię. i. Christi ope & benignitate editus atq; susceptus fuit. An non quæso hic ipse natalis regis tui dies, luce meridiana clarius docet, magnóque est argumento, illum ad tetrā, diram, funestámque istam caliginem, qua adhuc obruta, oppressáque iacuisti, depellendam, & ad almam atque serenam pacis, libertatisq; lucem tibi adferendam natū esse? Itaque Rex hic tuus stellæ instar splendidæ tibi prælucet pietatis, religionis, fidei, iustitiæ, sapientiæ, fortitudinis, liberalitatis, & aliarum virtutū quasi luce & exemplo, quod meritò imitari debes. An non etiam quotidie lumen rationis, iudicij, ingenij, consiliique sui tibi porrigit, atque tendit, ad te ex istis plus quàm Cimmeriis malorum & calamitatum tenebris extrahēdam, iisque liberandam? Quid (quod ipsum quoque non nisi singulari quadam Dei prouidētia, consilio, iudicióq; accidisse, nemo, credo, sanæ mentis negauerit) quod hoc eodem mensis die, quo serenissimus hic tuus rex Henricus IIII. olim natus est, Henricus dux Guisius, ac postridie eius diei frater eius Ludouicus Cardinalis Henrici III. Regis tui iussu, ac mandato contra cuius ipsi caput & regnum conspirarant, merito supplicio Blæsis affecti sunt? Qui ambo Regi huic tuo, vinculo licet affinitatis coniuncti tamen infensi valdè, infestique fuerunt: ita vt eum

non regia solùm dignitate excludere, sed etiam
vita ipsa priuare sæpissime sint conati. Quinimò
diem hunc Regis tui natalem, totius simul Re-
gni, patriæque natalem, ac salutarem diem ve-
rissimè appellare possumus: cuius quidem splen-
dor tetras istas, quibus adhuc oppleta & obruta
fuisti, tenebras magis magísque discutit ac dis-
pellit, tibique maiorem in dies pristinæ salutis,
libertatis dignitatísque recuperandæ spem &
quasi lucem affert. Hoc enim die is natus, & ex
vteri latebris, tenebrísque in hanc lucem emer-
sit, cuius opera fideli atque strenua nunc Deus,
ad te penè mortuam, atque sepultam quodam-
modo recreandam, ac reficiendam, & ad pristi-
nam vitam, hoc est, salutem, dignitatémque re-
uocandam vtitur..

Ortum præterea eius (cuius, vt verè sapien-
térque Cic. scripsit, partem patria sibi vendi-
cat) ad præcipuum & singulare Dei beneficium
esse referendum illud quoque non leui est argu-
mento, quòd ea signa illum antegressa, comita-
ta, & consecuta sunt, vt eum ad patriam non so-
lùm tuendam & conseruandam, sed etiam au-
gendam, imperiúmque eius latissime propagã-
dum diuinitus tibi datum, & oblatum esse om-
nes sibi tunc persuaserint. Cùm enim primùm
hominibus nuntius allatus est, matrem illius
principem & heroinam clarissimam, filium ma-
rem peperisse, tanta passim lætitia consecuta est,
vt multi præ gaudio vim lachrymarum profun-
derent, & incredibiliter exultarent, illúmq; non
vt infantem fœliciter exortũ faustis ominibus,
sed

ſed vt Regem iam ſpectatum lætis acclamationibus proſequerentur. Omnes tunc in fœlici & auſpicato hoc eius ortu diuinum beneficium agnouerant, & ſpem magnam conceperant, fore, vt cùm ad maturam ætatem perueniret, maiorum ſuorũ virtutes, & egregia facta ingenio, induſtria, pietate, animi magnitudine, & cõtentione non æquaret ſolùm, ſed etiam ſuperaret. Quam quidem optimam hominum ſpem expectationémque illum non modo tueri fœliciter, ſed etiam ſuperare ac vincere videmus, & experimur quotidie. Nec verò tempus tantùm, ſed etiam locus, ſolúmque eius natale, optimi vt nominis, ita ominis quoque videtur eſſe, atq; auſpicij magnæq; fœlicitatis, ac dignitatis præſagium quoddam, & auguriũ. Natus enim eſt in Bearnia, in Pau, loco ditionis eius munitiſſimo atque celebri, vbi Parlamentum totius prouinciæ quaſi oraculum floret. Nonne igitur hoc ipſo Deus tibi ſignificare quodammodo voluit & ipſum beatum fore atque fœlicem, & totam patriam ſuam ex miſerrimo, & afflictiſſimo ſtatu ( ſiquidem eum ſequi, eique obſequi voluerit ) in beatiſſimum ſtatum eſſe vindicaturum? Natiuitatem porrò eius (quam vere regiam & imperatoriam geneſim appellare licet) conſecutus fuit aliquanto poſt Baptiſmus, qui quaſi alter Chriſtiani hominis dies natalis, atque vitalis merito cenſeri debet.

In Baptiſmo fuit impoſitum ei nomen verè Regium, Imperatorium, & Auguſtum, maximæ cùm virtutis, tùm fœlicitatis omẽ, & augurium,

quo & Rex ſocer eius & agnatus,& Rex Nauarræ auus eius maternus fuit inſignitus.

Non autem ignoras (ne leuis hæc fortaſſe videantur eſſe momenti atque ponderis)quam diligens olim & religioſa veterũ , apud omnes fere gentes,etiam apud Dei populum,in nominibus imponendis cura & obſeruatio fuerit.

Non igitur ſuperſtitioſa & anilis,vel curioſa, & inanis nominum,in magnæ præſertim dignitatis,claræ,& illuſtris fortunæ,certiſque hominibus obſeruatio , & animaduerſio iudicanda eſt: cùm non temerè & imprudenter,ſed ſummo conſilio,ratione , atque iudicio illis plerumque fuerint impoſita:vt ſcilicet eſſent vel rerum prꝗteritarum hoc eſt virtutum rerúmque præclarè laudabilitérque geſtarum monumenta: vel rerum futurarum,vt fœlicitatis quaſi auguria,atq; omina, vel officij incitamenta & calcaria.Chriſtianos autem in primis in nominibus partim imponendis,partim iis,quæ impoſita ſunt,conſiderandis , ac perpendendis non parum operæ, atque ſtudij decet ponere. Nomina namq; noſtra(vt piè,religioſéque nonnulli monent)nobis in ſacroſanĉto Baptiſmo indita, diuini,ac cœleſtis illius Lauacri memoriam nobis aſſiduè refricare debent , vt nimirum meminerimus nos ſanĉtiſſimo pretioſiſſimóque Domini ſanguine impuriſſimis noſtrorum ſanguinum id eſt peccatorum ſordibus ablutos , & repurgatos , & in album Eccleſiæ aſcriptos,nomen Chriſto ſummo noſtro Imperatori dediſſe , votúmque nuncupaſſe,nos mundo,ſatanæ, nobiſmet ipſis renuntiaturos.

nuntiaturos. Qua de causa omni nobis studio enitendum est, vt per totum vitæ nostræ curriculum cœlestē hanc nostrā sanctam religiosámque inscriptionem, vocationem, sponsionem, atque votum vera seriáque pœnitentia sanciamus, vitæ, morúmque sanctitate stabiliamus, ac confirmemus. Constat etiam ex antiquissima, & communi nō Iudęorum tantùm, sed reliquarum quoq; gentium ferè omnium consuetudine, paterna, & auità nomina plærumque liberis imponi fuisse solita, quæ illis paternæ, auitæ, & maiorum virtutis quasi μνημόσυνα id est monimenta simul & incitamenta essent. Quod in hoc quoque tuo Rege obseruatum fuit. Legimus prætereà regum & imperatorum apud singulas gentes certa quædam & peculiaria fuisse nomina, quæ quidem aliis vsurpare non licebat. Sed vt omittamus vetusta, & aliena Regū exempla, Regum Gallicorum & Francicorū nomina prisca quidem & antiqua fuerunt Pharamundi, Merouei, Childerici, Chlodouei, Childeberti, Chilperici, Clotarij, Dagoberti, Theodorici, Caroli, Martelli, Pipini, recentiora autem Caroli, Ludouici, Philippi, Francisci, Henrici.

Sic igitur Regis tui nomen est Henricus, nomen verè regium, nomen vetus regum Galliæ, regiæque familiæ proprium, quod ei non casu, & fortuitò, sed singulari quodam Dei consilio parentum voluntate statim ab ortu in Baptismo fuit inditum, tanquam optimi sanctissimíque ominis nomen. Tres etenim huius nominis Reges regno huic præfuisse constat, quorum primu

quidem ſummam lenitatem & mãſuetudinem, quæ in annalibus tuis hiſtoriis celebratur:ſecundi verò (qui huius noui Regis tui ſocer & agnatus fuit) bellicam fortitudinem: tertij denique (cui nunc ſucceſſit) ſingularem eloquentiam ſedulo fœliciterque imitatur Henricus hic IIII. eius nominis Rex tuus. Iam verò ſi Germanam nominis huius origine Germanici vim,notationémque ſpectes,compoſitũ eſt,vel ex Her(quod Græcis,Latinis,& Germanis dominum,virúmque ſtrenuum ſonat) vel ex Chen Hebræo,quod gratiam: vel ex Er, quod Germanis honorẽ ſonat( vnde Itali Erricum pronunciant) vel denique ex Hand.i.manu : vel Hoch. i.alto , excelſo: vel heim.i.domo:& Rich,quod Gallica , Italica, Germanica , adde & Hebræa lingua diuitem, & opulentum deſignat.

Henrici itaque nomen gratiam,honorẽ, dominium,imperium,opes,potentiam, robur deſignat:nempe,

*Conueniunt fatis nomina ſæpe ſuis.*

Cui igitur dubium quin hoc quoque Regis tui nomen illius fatis atque fortunæ,virtuti, fœlicitatique optimè conueniat,quem gratia,honoribus, opibus, robore corporis atque animi , imperio denique florentiſſimum eſſe conſtat? Denique quid portendat neſcio, quòd Germaniæ quoque ſororis noſtræ Imperatoribus nomen hoc familiare fuiſſe manifeſtum eſt.

Alterum autem gentile nomen familiæ eius antiquiſſimæ & regalis , Burbonij naturæ illius atque moribus etiam congruum admodum eſt,

&

& consentaneum. Nam quid Bourbon aliud sonat, quàm purum ( quæ vox ab Hebræa bor siue bur est deriuata ) atque bonum. Talem autem hunc esse suum Regem reipsa iam multos per annos experta es, nempe integrum vitæ, scelerisque purum, & natura bonum atque benignum, quem Græci καλον κ'ἀγαθὸν vocãt. In hoc ipsum nomen, quidam ingeniosus gentis meæ poëta non ineptè, meo iudicio, his versibus lusit.

BORBONIVS *ducat qua Rex ab origine nomen*
*Quæris? Eum* FORT-BON *Gallia tota vocat.*
*Omen amant Latiæ Musæ,* FORTEMQ. BONVMQ.
*Imò vocant* PVRVM *nomine réque* BONVM.
*At mihi (dignetur modò Rex hoc sumere pour bò)*
BORBONIVS *fuerit nil nisi* PORRO BONVS.

Tertium nomen est nota & titulus materni regni, vnde Rex Nauarrenus, siue Nauarreus dicitur. Vere autem sic quoque appellatur, propterea quòd gnauus, & industrius egregiam adhuc, fidelem, & fœlicem in Gallia tuenda, & cõseruanda operam nauauit, & in posterum quoque nauare est paratissimus. Ergo vel ipsa hæc noui tui Regis regia plane, imperatoria, augusta, magnifica, splendidáque nomina, regiæ illius cùm virtutis, tum splendoris, & amplitudinis notæ, atque symbola fœlicissima, auspicatissimáque omnia, te ad optima quæque de ipso sperandum, & ad omnia iusta debitáque ei officia, obsequiáque præstandum inuitare, & allicere debent. Erunt quoque deinceps ne dubita,

eadem nomina huic tuo regi ad maiorum & prædecessorum virtutem imitandam, & officio suo probè fungendum stimuli, & aculei acerrimi.

Iam verò in natalibus illustrium præsertim hominum, non solùm tempus, locus, Baptismus, nomina, signa, quæ ortum illorum vel antecedere, vel comitari, vel consequi solent, hominũ denique vota, sermones, gratulationes, gaudia (quæ in hoc tuo Rege regalis dignitatis plenissima reperiuntur omnia) sed parentes quoque in primis, genus, atque familia, vnde procreati illi fuerũt, atque proseminati, diligenter cõsideranda. Hic igitur Rex tuus, vt notum est omnibus, ambos parentes habuit verè regios, ex regali genere vtrinque oriundos, regiisq; virtutibus ornatos, de quibus ego si pro dignitate vellem dicere, tempus me prius deficeret, quàm oratio. Matrimonium hi fœlicissimis auspiciis contraxerunt, nuptiásque regali pompa, atque splẽdore magnificas celebrarunt anno XLVIII, mense Octobri, in amplo, celebríque prouinciæ Lugdunensis oppido, atque Castro Molinensi, quod vulgò *Moulins en Bourbonois* vocatur.

Fuit autem hic annus partim duplici Henrici II. Regis tui & in Taurinum Pedemontij metropolim, & in vrbem Lugdunẽsium introitu magnifico ac triumphali: partim Burdegalensi & Aquitanica, nec non Parisinorum scholasticorum seditione valde insignis: quæ vtraque Henricis Regis summa prudentia tandem compressa, atque sedata fuit. Anno post (nẽpe XLIX) mense

mense Decembri, Margarita Valesia Nauarræ Regina,(Francisci I. soror) Regis tui auia materna, fœmina heroina, præter sexum apprime literata, omnique virtutum genere ornata, vitam cum morte commutauit.

Princeps porrò hic magnanimus Regis tui pater Regis Henrici II. in Piccardia legatus anno XLII. in septentrionali Belgicæ parte Terouhanensem arcem nobilissimam cepit, & soloæquauit, Flandros vnà cum Comite Reutio suo ductore fudit, atque fugauit. Filerium oppidulum, aliáque Castella in Artesiensibus cepit, multáque alia bellicæ fortitudinis documenta dedit. Postea abdicata Piccardia, Aquitaniæ gubernator factus est anno 1553. Octob. 21. die. Tandé anno LX. sub nomine primi principis, Regis & fratrum Augustissimorum, atque adeo totius Regni cura, & administratio (quam Regentiam vulgò vocant) vt proximi agnati in celeberrimo regni Ordinum conuentu ei delata est, atque ita totius regni consensu, auctoritate & decreto apud omnes Francos prærogatiuam primi principis habuit, vnde cõstat liquido ad hunc tuum Regem filium eius primogenitum & vnicum ius Regni pertinere.

Iam verò mater illius Ioanna, Henrici Albretij, Regis Nauarræ filia regni hæres ac Francisci I. Regis tui ex Margarita sorore neptis: Regina, & heroina præstantissima, tot tantisque virtutibus floruit, vt nullius tantum sit vel ingenij lumen, vel orationis flumen, nullius tanta dicendi, scribendíque vis, atque copia, qui illas nõ dicam

exornare,& illuſtrare,ſed enarrare, ac percenſere poſſit. Fœmina fuit,non nomine tantùm, ſed re ipſa,atque moribus,verè Ioanna (quod Latinè gratioſam ſonat) hoc eſt pia, caſta, religioſa, humana,liberalis,atque benigna. verè itaque illa non huius tantùm tui Regis,ſed etiam totius Regni,omnis diſciplinæ, iuſtitiæ, iudicij,atque religionis,Scholæ,& Eccleſiæ, omnium ſtudiorũ, literarum,atque artium honeſtarum, & liberalium,quandiu vixit, quaſi mater quædam, atque nutrix alma & fidelis extitit,malorum,dolorum, moleſtiarum, ærumnarum, periculorúmque, quæ ei toto ferè vitæ curriculo fuerunt ſubeunda, patientiſſima. Has illius virtutes atque laudes nemo eſt tam inuidus, tam audax & impudens,tam maleuolus,& inimicus,qui negare auſit.

Ex his ergo ille parentibus,principibus,& regibus clariſſimis cùm ſit procreatus,dubium nemini eſſe debet,quin quemadmodum adhuc paternæ maternæque virtutis, laudis, atque gloriæ ſtrenuum ſeſe imitatorem præbuit, in poſterum quoque eorundem exemplo, & imitatione nullam de toto regno, patriáque optimè promerẽdi occaſionem ſit prætermiſſurus. Quòd ſi verò à parentibus aſcendere,& genus eius cùm paternum, tum maternum paulò altius repetere volumus, omnia ſine dubio regalis dignitatis, virtutis,atque gloriæ pleniſſima reperientur. Vtraque enim eius proſapia eſt antiqua, regia, ſplendida, auguſta, magnifica: & quoddam aliquot iam ſæculis multorum vtriuſque ſexus du-

cum,

cum, principum, comitũ, atque regum præstantissimorum, de patria, totóque ferè orbe Christiano optimè meritorum quasi seminarium. Ac genus quidem ille paternum non minùs atque Rex tuus recens mortuus à Ludouico IX. illo, cùm aliis virtutibus, tum vitæ, morúmque sanctitate clarissimo, trahit: qui idcirco Sancti cognomen adeptus est. Ab illo itaque genarcha & communi stipite seu progenitore sanctissimo, à regia inquam, fœlici, sanctáque illa stirpe familiæ duæ familiarum omnium tuarum, imò familiarũ orbis totius Christiani omnium præstantissimæ nobilissimæque tanquam duæ sorores germanæ fuerunt propagatæ. Vna est Valesia, quæ à Ludouici illius Sancti filio primogenito (cui Philippi III. nomen Audacis siue Animosi cognomen fuit) orta annos ampliùs CCC. per continuam legitimámque successionem Franciæ atq; Galliæ tuæ regnum obtinuit, nunc immani (ô facinus horrendum ingens) monachi illius Dementis fraude atque scelere subito est extincta.

Altera verò Borbonia gens ab altero Ludouici illius Sanctissimi filio minore nata, ac secũdo genito, Roberto nimirum Comite Claromontano deriuata, & ad nostra vsque tempora fœlicissimè propagata est, vnde hic tuus rex prodit, iustus idcircò, legitimúsque regni Gallici hæres. Nam stirpe atque familia Valesia hoc est posteritate Philippi Regis, & fratris maioris, quæ adhuc regni huius imperium tenuit, sublata, & extincta, nunc Borbonia tanquam iusta,

legitimáque ei heres succedit. Ita ergo ex fœlici, sancto, regióque illo stemmate duo hi quasi aurei florentésque rami, hoc est, familia Valesia & Borbonia, per duos fratres germanos enati, ac propagati fuerunt. Vel (si alio simili vti libet) ex illo tanquam sanctissimo fonte duæ hæ familiæ veluti riuuli quidam, seu potiùs flumina simul, atque lumina clarissima promanarunt.

Quòd si altiùs vtriusque familiæ serenissimæ originem repetere volumus, vtranque constat ab origine Francicam, Regiam, miniméque peregrinam esse, ex tribus Regiis familiis profectam quæ regno huic tuo, quod iam fere M.C C. annos durauit, ex ordine præfuerunt. Constat enim S. illum Ludouicum IX. & tritauum eius Henricum I. qui Capeti nepos fuit, Caroli illius magni agnatos fuisse, hoc est continua serie & recta linea masculina non minus à Pharamundo descendisse Reges illos tuos posteriores Capetanos, quam superiores Carolingos, & illis priores Merouingos. Neque verò vlla vspiam familia etiam fuit, quæ tandiu populi cuiusquam imperio pręfuerit. Labitur enim iam annus ducentesimus ferè atque millesimus ex quo ad VVaramundum illum (à quo Henricus iste tuus IV. est in perpetua & nusquam interrupta androgeneia) rerum summam & potestatem detulerunt Franci tui liberrimi. Nunc ergo postquam cum Henrico vnà tuo III. omnes interciderunt Valesij, Monachi illius parricidio, longũ illis atque æternum, vt ita loquar, Vale dicere cogeris, & Borbonios Auere plurimum & perpetuum

petuum ſaluere dicas æquum eſt, qui tanquam illorum fratres germani & agnati proximi iuxta legem tuam fundamentalem & conſuetudinem ſacroſanctam illis in Regno tuo nunc iure ſuccedunt. Hinc ergo liquido conſtat quanta ſit familiæ Borboniæ antiquitas, dignitas, nobilitas, atque ſplendor. Illa namque primùm origine eſt antiquiſſima, & tota planè regalis, cum ex prima & vltima tua familia regia Pharamundi ſcilicet & Capeti profecta, eiuſdẽ ſit cum regno tuo antiquitatis & originis: ita hanc familiam ſolam & vnicam vere propriéque Francicam, & Gallicam appellare poſſis, ac omnino agnoſcere debeas, tanquam illam quæ vna cum Regno tuo nata ſit, cuiuſque gentiles & agnati Merouingi & Carolingi Reges tui intermedij omnino omnes fuerint. Deinde virtutũ rerúmque præclarè geſtarum, ac victoriarum gloria, (vt tui domeſtici atque etiam externi plurimi annales, & hiſtoriæ teſtantur) clariſſima, tum vitæ, naturæ, morúmque Pietate, ac Bonitate (vnde merito Borbonia dicta) prꝺſtantiſſima. Denique vt regum & principum antiquiſſimorum eſt propago, atque ſoboles, ita multorum regum, atque principum parens eſt, atque procreatrix.

Quum autem Rex hic tuus à Ludouico Sancto, communi illo Valeſiorum & Borboniorum genarcha vndecimus ſit: gradus illos quæſo ne te pigeat paulò mecum vnà hic recognoſcere. Ac de patre quidẽ illius, Antonio ſereniſſimo Rege Nauarræ iam dictum eſt, qui in obſidione

Rothomagenſi globulo tormentario ictus anno M. D. L X I I. die 17. menſis Nouemb. diem ſuum obiit.

Auus autem eius fuit (vt non es neſcia) Carolus dux Vendocinus, Par Franciæ, Piccardiæ gubernator: qui Franciſcam Alenconiam Renati ducis Alenconij filiam anno M. D. X I I I. in vxorem duxit, (quæ nuptiæ Caſtelloduni fuerunt celebratæ) qui obiit anno M. D. X X X V I I. Is præfuit Regio Conſilio quo res Galliæ adminiſtrabantur tum quum Franciſcus I. captiuus in Hiſpania detineretur: & eius prudētia & fidelitate Regnum Galliæ fuiſſe conſeruatum teſtatur Belleyus qui temporibus illis floruit. Huius Ducis Vēdocini ſoror Antonia Borbonia nupſit Claudio Lotharingico Guiſij & Aumalij Comiti, (vnde Guiſij cęteri deſcenderunt) quæ nuptiæ ſimiliter anno M. D. X I I I. Lutetiæ Pariſiorum fuerunt celebratæ: Hinc conſtat quanta ſit inter Regem tuum, & Guiſios cognationis vinculum. vtinam qui ſuperſunt ex Guiſiis ſint memores tanti honoris in maiores ſuos collati. Hunc ipſum Carolum Borbonium (quod hîc ſilentio præterire non poſſum) Ludouicus X I. Rex Gal. vnà cum Longouillano prorege Aquitaniæ, cum valido exercitu auxilio miſit Ioāni Regi Nauarræ, Regis huius tui proauo materno: ad eum regni Nauarreni partem, quam Ferdinandus V. Rex Arragoniæ, pontificiæ excommunicationis prætextu, vi atque iniuria occuparat, recuperandam. Atque ita mira Dei prouidentia Regis huius tui auus paternus, eiuſdem

pro

proauo materno, Regis Galliarum iussu, opem, auxiliúmque tulit.

Ex hoc autem aui, atque auiæ eius fœlici, & auspicato matrimonio nati sunt filij, nẽpe Antonius primogenitus, Regis tui pater: Frãciscus Anguiani Comes secundo genitus, cuius ductu, & auspiciis, memorabilis illa ad Serizollam victoria tibi parta est, qui sine liberis obiit: Carolus tertio genitus, Cardinalis Borbonius, & Archiepiscopus Rotomagensis, Regis tui patruus, Ioannes quintogenitus, & Ludouicus Princeps Condæus, fortissimus heros, patriæque propugnator, anno M. D. LXIX. 13. Martij ad Iarnacum fortiter pugnans, primùm captus, deinde contra datam fidem occisus, IV. post se reliquit filios. Hi sunt Henricus Princeps Condæus primogenitus (qui veneno impie nefariéque sublatus est è medio, relicto filio posthumo) Franciscus Princeps Contiacus, Carolus Cardinalis Vindocinus, & Carolus Suessonium Comes: qui III. posteriores nunc omnes fortissimè pro Regis, ac totius patriæ salute pugnãt, quibus Deus contra hostium suorum vim atque insidias & artes prudentiam & simul diuturnam valetudinis vitæque vsuram largiatur. Et hæc de Regis tui auo, & eius filiis, ac nepotibus.

Proauus Regis tui fuit Franciscus Comes Vẽdocinus, qui in matrimonio habuit Mariam Luxemburgiam, Ludouici Franciæ Connestabilis filiam, vel, vt alij volunt, neptim. Abauus porrò tui Regis fuit Ioannes Borbonius, Comes Vendocinus, princeps magnæ gloriæ, ac

virtutum,rerúmque geſtarum laude florentiſſimus. Fuit enim vnus ex heroum illorum numero,qui ſub Carolo VII. patriæ protectores, & Anglorum flagella fuerunt appellati. Eripuit ex Anglorum manibus Frõſacum, vxorem habuit Iſabellam de Bellavalle. Nõ minor,immo maior etiam fuit ataui illius virtus,atque gloria. Is fuit Ludouicus Borbonius, Comes Vẽdocinus, qui ſupremus fuit Franciæ magiſter, quem veteres aulæ præfectum, & Comitem Palatinum vocabant. Cúmque fuiſſet gubernator prouinciæ Syluanectenſis, interfuit ſanguinolentæ illi pugnæ Azincurtianæ anno M. CCCCXV. imperante Carolo VI. in qua vnà cum aliis principibus captus fuit ab Anglis. Deinde egregiã fortémque operam Carolo VI. contra Anglos & Burgundos nauauit anno M. CCCCXXVIII. Comitatus enim eſt Ioannam illam Arçam virginem Lotharingam, & pro ſua virili patriam tutatus eſt, Anglos inde maximis laboribus, atque periculis conatus eiicere. Vxor eius fuit Ioanna Lauallenſis, ipſe obiit anno 1446.

Tritauus Regis tui Ioannes Borbonius, Marchię Comes,qui vnicus Iacobi Borbonij(de quo paulò poſt) filius fuit. Duxit in vxorem Catharinam Vendocinenſem & Ceſſeronenſem Comitiſſam & hæredem. Tritaui pater fuit Iacobus Borbonius, Marchiæ Comes, Ludouici Ducis Borbonij filius minor natu. Franciæ equitúm magiſter occubuit fortiter pro patria pugnans, vnà cum primogenito fratre Petro Borbonio Duce in nobili illo prælio Pictauiẽſi anno 1356.

in

in quo captus est Ioannes Rex cum fratre Philippo. Vxor eius fuit Ioanna de S.Paulo.

Tritaui auus fuit Ludouicus F. Roberti Franci, primus Dux Borbonius, Par & Camerarius Franciæ, dictus Magnus. Interfuit pugnæ illi acerrimæ Philippi VI, in Flandria ad Montem Casselli, in qua occubuerũt Flandrorum rebellium XX. millia. Vxor eius fuit Maria Hannonia: ipse obiit anno 1341. Postremò tritaui proauus fuit Robertus Francicus Comes Clarimõtij & Charlesij, Ludouici S. ex Margarita filia Comitis Prouinciæ Reimũdi filius, lineę & stirpis Borbonię genarcha frater Regis Philippi III. Audacis minor natu, qui lineæ seu stirpis Valesiæ iam intermortuæ genarcha extitit. In vxorem duxit Robertus Beatricem Archambaldi Borbonij Comitis filiã, hæredem & dominam Comitatus Borbonij, ex qua suscepit Ludouicum, qui matri in Comitatu Rochenio, & patri successit in Claromontano Comitatu, qua ratione etiam Comes Marchiæ fuit. Dominium illud Borbonij tam amplum fuit, vt à Philippo Valesio regnum ineũte anno 1327. titulo Ducatus augeretur. Decessit Robertus anno 1317. sepultus in Iacobitarum monasterio, Parisiis, in medio Capellæ Borboniæ.

Atque hæc quidem est, quam breuiter perstringere volui, Regis tui serenissimi ad Ludouicum vsque Sanctum deducta genealogia, valde gloriosa, clara, & illustris, quæ vel sola hunc tibi Regem vehementer debet commendare. Est etenim veluti Catena quædam aurea, iuris,

religione, sanctitate, sapientia, fortitudine, iustitia, & aliis præclaris virtutibus, ceu annulis, monilibus, atque gemmis pretiosissimis disiuncta: ac proinde cùm virtutum nobilissimarum, quibus maiores eius fuerunt ornati, tùm iustæ, legitimæq; eius in hoc regno Gallico sucessionis testis est locupletissima. Nimis autem longum & operosum foret, de maiorum eius virtutibus, factis atque præclaris meritis de patria verba facere, quæ cuiuis vel paululum in historiis tuis versato sunt notissima.

Verum quoniā Ludouici illius IX. Francorum Regis (qui vtriusque familiæ, & Valesiæ iam intermortuæ, & Borboniæ adhuc florentis, & in regno succedentis quasi stirps communis atque Caput extitit) cùm virtus, tum fortuna magnam cum hoc tuo Rege affinitatem & cognationem habet, non erit, vt spero, tibi molestum de eo quędam à me dici. Nam quemadmodum Ludouicus ille Sanctus natus anno 1215. patri defuncto anno M. D. XXVI. (quem nonnulli veneno extinctum fuisse volūt) successit tertio decimo ætatis anno: ita Rex tuus annos nondum x. natus patre serenissimo Rege Nauarræ orbatus est, anno salutis M. D. LXII. Deinde vt Ludouicus Sanctus partim intestinas Regni turbas, seditiones, motus, tumultus & conspirationes aliquot ciuitatum, ac principum rebellium, vt Comitis Tholosæ, Comitis Campaniæ, Comitis de Dreux, Comitis de S. Paulo, & Comitis Britanniæ (quæ statim ab initio Regni eius extiterunt) mira fœlicitate sedauit, & composuit: partim

partim externas Anglorum impreſſiones, & impetus fregit, atque repreſſit: ita Rex tuus adhuc partim in inteſtinis atque domeſticis regni ſui turbis, & conſpirationibus, (quæ illum ſtatim excеperũt) ſedandis, partim in externorum hoſtium copiis fugandis atque frãgendis non fortis ſolùm atque ſtrenuus, verùm etiã mirum in modum fœlix adhuc Dei beneficio ac fortunatus fuit. Adhæc vt Ludouicus à pueris ipſa neceſſitate cogẽte rei militari deditus fuit: ita Regi tuo Caſtra ab ineunte ætate pro ludo fuerunt, non in vmbra quiete & otio, ſed in ſole, in puluere, atque acie educatus fuit, vnde maximã rei militaris peritiam eſt conſecutus. Præterea vt Ludouicus Sanctus iuſtitiam, iura, atque iudicia plane corrupta inſtaurauit: ita Regi huic tuo nihil prius eſt, & antiquius, nihílque magis ſtudet, quàm vt iudicia ferè omnino conſtuprata priſtinę integritati, dignitatíq; reſtituãtur. Quemadmodum Ludouicus Sanctus magiſtratuum ambitum, & ſordes omnibus modis repreſſit, & honores, atque munera publica venalia eſſe noluit, grauitérque prohibuit: ita tuus hic Rex munerum officiorúmque, cùm ciuilium, tum Eccleſiaſticorum turpiſſimas nũdinationes, atque negotiationes odit, execratur, atque vetat grauiſſimè, omnémque dat operam, vt illa digniſſimis quibúſque maximè aptis, & idoneis, optiméque de patria meritis mandentur, ac committantur. Item vt Ludouicus Sanctus paraſitos, hiſtriones, mimos, ludiones, homines ignauos, inutiles, luxu, luxuriáque perditos, ex aula ſua

eiecit: Ita tuus hic Rex pernitiosorũ huiusmodi hominum turbam procul à familiaritate, consuetudine, conspectúque suo remouet, ac repellit. S. Ludouicus à blasphemiis, & deierationibus abhorrens Dei nomen in vanum assumentibus cauterium in fronte inuri curauit: sic Rex tuus blasphemum nominis diuini abusum nequaquam ferre, ac tolerare potest. Præterea vt Ludouicus S. literarum, studiorúmque liberalium paternam curam gessit, Scholam Parisiorum, quæ propter motas iniurias, & cædes scholasticis illatas, dilabebat, restituit, Sorbonę collegium instituit: quæ malam nunc Regi tuo, & Regi etiam demortuo: (illius nepotibus) reddit gratiam, & plures alias scholas fundauit, ita Rex tuus literarũ disciplinarúmq; liberalium, scholarum, & Academiarum fidelissimum adhuc sese patrem atque patronum præbuit. Itẽ quemadmodum Ludouicus S. varia, & aduersa fortuna ab ineunte ætate diuexatus fuit: ita Rex tuus ab incunabulis adhoc vsque tempus plurimis periculis fuit expositus, maximis grauissimísque curis, solicitudinibus, ærumnis, molestiis, laboribus, atque doloribus, iactatus, ex quibus Deus illum mirificè adhuc cum omnium admiratione seu stupore potius eripuit, & liberauit. Ludouicus S. Venetis vsus est amicis, & opitulatoribus fidelissimis: ita Regi tuo Serenissimo maxima intercedit cum antiquissima, amplissimaq; illa Repub. (quam omnium ciuitatum, & rerũpub. liberarum reginam, atque dominam appellare possumus) amicitia, quæ etiam prima
(quod

(quod optimi auſpicij locō duco) inter omnes orbis chriſtiani reſpubl. atque principes ei honorificentiſſimè gratulata eſt. Ludouicus S. graues exactiones pecuniarum prohibuit, & repreſſit, ſuſpectam habēs Rom. curiæ auaritiam. Vnde legati quidam Pontificij, qui pecuniæ ex regno tuo corrogandæ, emendicandæ & exportandæ cauſa miſſi fuerant, vacui cum ludibrio, riſu, atque ſannis ex Regno ad Papam redierūt: id quod in Anglia quoque illis accidit. Sic Rex tuus nullis iniquis, & iniuſtis tributis, vectigalibus, pecuniarúmque exactionibus, populum ſuum vel ab Eccleſiaſticis, vel à politicis premi, & aggrauari patitur, totúſque in eo eſt, vt omnibus illis oneribus intolerabilibus populus omnino leuetur. Ludouicus S. precibus ſacris ſine ceſſatione fere, & intermiſſione operam dedit, ac in primis in morbo ſuo lethali morti vicinus aſſiduas & ardentes ad Deum preces fudiſſe, & huius modi precandi formam ſæpe iteraſſe dicitur: Fac nos, quęſumus Domine, proſpera mūdi deſpicere, & nulla eius aduerſa reformidare. Deprecatus etiā eſt aſſiduè, & ardenter pro populi ſalute hoc modo: Eſto Domine plebis tuæ ſanctificator, & cuſtos. Et cùm iam ad vitæ huius mortalis finem appropinquaſſet, ſublatis in cœlum oculis ſic oraſſe fertur: Introibo in domum tuam Domine, & confitebor nomini tuo. His dictis in Domino obdormiuit. Quæ Matthæus Pariſius hiſtoriæ Anglicæ ſcriptor literis Regis Nauarræ ad Dominum Tuſculanum ſcriptis confirmat. Regis verò tui quàm aſſiduum,

& indefessum quámque flagrans sit Deum pro sua, & totius populi, atque regni salute, deprecandi ac inuocandi, gratiásque illi pro omnibus acceptis beneficiis agendi studium: nemo, qui vel à limine aulã eius salutauit, inficiari potest.

Postremò Ludouicus S. admirandæ fuit pietatis, ac probitatis, vnde Sãctus cognominatus: Ita Rex hic tuus mirifica vitæ, morúmque probitate, & sanctitate, toti regno prælucet, ita vt admirationi sit omnibus, & mirabilia mundi reuera dici queat, non minus atque excellentiss. ille olim Imp. Otto III.

Ex his igitur adhuc commemoratis patet, Regem tuum Ludouico illi S. progenitori suo non agnatione tantùm, sanguiníque coniunctione, sed etiam virtutum studiorúmque similitudine, esse coniunctissimum, ac proinde illum tanquam verum, non solùm Regni, sed etiam vitæ successorem, tibi amandum summè & obseruandum esse. Quocirca non in hunc tãtùm Regem tuum præsentem, qui nunc Regni gubernacula tenet, atque tractat, sed etiam in omnes eius maiores, in omnes, inquam, Reges, & principes tuos Francicos, & Gallicos, qui huic Regno præfuerunt, ac plurima in te beneficia contulerunt, iniurij, ingrati, & impij sunt vindicandi, qui huic iusto, legitimóque suo & filio, & hæredi, & successori, & virtutum laudúmque non imitatori solùm, sed etiam amplificatori fidelissimo resistunt, repugnant, aduersantur, iustum & paternum eius imperium detrectant, eius non dignitatem solùm regiam (qua multis nomi-

nominibus est dignissimus ) sed vitam quoque ipsam eripere conantur. Hi profectò Dei, hominúmque omnium, in quibus vel gutta est sanæ mentis, iudicio, graui & inexpiabili sese obligāt atque obstringunt scelere.

Ac gens quidem hæc illius paterna nō à Ludouico solùm illo Sancto, sed à Capeto etiam & Pharamundo denique Regibus tuis, gentium vna omnino omnium quæ supersunt hodie nobilissima perpetua serie, & linea masculina descendens, argumentum est apodicticum, vt ita loquar, firmum, atque solidum, Regnum hoc tuum Gallicum, iuxta perpetuum Regni huius ius, & consuetudinem, ad illum pertinere, illi deberi, ita vt non nisi per summum nephas, atque iniuriam (quod Deus auertat, atque prohibeat) ei eripi possit. Nam neminem latet, tuum Regnum Franciæ non esse electiuum, nō etiam hæreditarium simpliciter, & patrimoniale, aut feudale, sed successiuum, & regiæ familiæ proprium, ad quod eius familiæ proximus semper demortui agnatus, quocunque ille gradu sit, vocatur, successione & subrogatione perpetua, seruato in infinitum illo agnationis ordine. Itaque Baldus Perusinus, Iureconsultus suæ ætatis celeberrimus, quasi præuidens, atque præsagiens id, quod nuper accidit, ducentis ferè antè annis disertè affirmauit, deficiente regia familia ( scilicet Valesia) regnum hoc Borboniæ deberi, ita vt si quis illi vel millesimo gradu agnatus, ex ista succedat, is iustus Rex sit appellandus. Idem senserunt etiam alij, viri doctissimi, vt Ioannes

de Terra Rubea, Boëtius, & Iacobinus de Sancto Georgio, qui de Regni huius successione scripserunt.

Sed nolo, nec etiam opus est, Sereniss. tui Regis in successione iura certissima pluribus persequi, cùm illa nota sint omnibus, qui non manifestæ veritati claudere volunt oculos: ita vt illi qui his repugnant & aduersantur, iniustitiæ nomine & criminis etiam læsæ maiestatis meritò sint accusandi.

Iam verò quantùm ad familiam maternam, quæ est Albretia, attinet, illā quoque antiquiss. constat esse, atque regiam: ex qua tanquam ex equo Troiano aliquot Reges, Reginas, ac principes illustrissimos prodiisse historiæ tuæ testantur. Ex iisdem quoque cōstat, iam ab aliquot sæculis Regum Franciæ & Nauarræ summam fuisse & arctissimam non animorum tantùm, ac voluntatum, sed etiam affinitatis atque sanguinis coniunctionem. Vnde quatuor olim etiam Francorum simul, & Nauarrorum reges fuisse legimus, id quod nunc quoque in Rege tuo accidisse vides, qui optimo, iustissimóque iure vtrumque simul regnum obtinet, quod singulari Dei consilio, atque beneficio acceptum est referendum.

Theobaldus, vt pauca quædam hîc attingam, ex Campaniæ comite Rex Nauarræ factus, Ludouico S. socero suo Comitem sese, atque socium fidelissimum ad expeditionem, & bellum sacrum præbuit, in quo post Soceri obitum vnà cum eius filio Tunetum expugnauit, ac inde rediens

diens paulò poſt ad ſuperos in reditu migrauit. Philippus I V. Philippi I I I. & re, & cognomine Audacis, ſiue Animoſi, Regis tui filius, Ludouici S. nepos, vnà cũ tribus filiis Rex ſimiliter Franciæ Nauarręque fuit, multis laudibus digniſſimus, à quo per gradus X I. nunquam interrupto ſucceſſionis ordine Regni illius hæreditas ad Ioannam Reginam Regis tui matrem peruenit.

Sed omiſſis antiquioribus, hîc præcipuè Ioannis Regis Nauarrorum (qui Regis tui proauus fuit maternus) mentio eſt facienda, quũ pręſertim illa hiſtoria noſtræ huic ætati, ſeu potius tempeſtati, præſentíque rerum tuarum conditioni, atque fortunæ per quàm ſimilis ſit, & accommodata. Nam anno Chriſti M. D. X I. Ludouicus X I I. Rex tuus (qui patriæ parens ob paternum nimirum in patriam, Regnúmque Gallicum amorem fuit cognominatus) vnà cum Ioanne iſto Rege Nauarræ cognato, à Iulio I I. Pontif. Rom. proſcriptus fuit. Hîc igitur laudanda magnopere & prædicanda eſt Ioannis illius Regis Nauarreni erga Ludouicum X I I. Regem tuum & propinquum ſuum egregia ac perpetua laude, prædicationéque digniſſima fides. Nam cùm Iulius ille Põtifex Rom. Ludouicum X I I. (qui mos eſt Pontif. Rom. antiquus & vſitatus) anathematum ſuorum fulminibus feriiſſet, Regnúmque eius prædæ omnium ac direptioni expoſuiſſet, Ioannes iſte Albretius Rex Nauarræ, ab illo rogatus, & admonitus eſt, vt ſibi pro cognationis, & Senioris iure & clientelarum feudatalium inſtitutis, aduerſus hoſtes ſuos

opem, auxiliúmque ferret. Rex itaque Nauarrę, cum & in tuo Regno natus, Regisque tui & propinquus, & propter magna, quæ in illius regno possidebat, feuda, cliens esset, atque Vasallus, officij sui nequaquam immemor, coactis summa celeritate in suo Regno peditum, equitúmque copiis, tantum in Galliæ fines adduxit auxiliarem exercitum, vt Regnum suum viris propè nudatū ac destitutum reliquerit. Hac re cognita Papa Iulius cum Hispanorum Rege Ferdinando v. (cui tum primùm Catholici cognomentum, anno nimirùm M. CCCC. XCII. imposuit) per internuntios agere instituit, vt celeriter, comparatis copiis Regis Nauarræ absentis ditionem viris & armis exhaustā inuaderet, pollicitus se & Nauarrum pro hæretico, & Schismatico proscripturum, & ipsius Regnum pro præmio addicturum. Ferdinandus Rex tantam rei gerendę occasionem nactus, ei deesse noluit. Promulgata itaque Pontificia in Regem Nauarrum execratione, manus maximas cogit, & post Rauennensem victoriam Galliam tuam se inuadere velle simulans, improuisam, & inopinatam impressionem in vicini Regis absentis ditionem facit, & primum quidem vrbem primariam, Pampelonam nomine, Pompeiopolim olim dictam, deinde maximam totius Regni partem occupat.

An non quæso in his, quæ commemorata sunt, expressam nostrorum temporum, & eorum, quæ nunc in patria tua acciderunt, imaginem cernere licet? Nam quemadmodum olim

Ioannes

Ioannes ille Albretius Rex Nauarræ Regis tui proauus, Ludouico XII. Pio cognomine, Regi tuo propinquo,& patrono ſuo,in maximo,propter Pontificios anathematiſmos, & execrationes,diſcrimine conſtituto, contra vim hoſtilem fideliſſimas ſuppetias tulit, idque cum extremo vitæ, fortunarúmque ſuarum omnium diſcrimine; vnde etiam maximam Regni ſui iacturam, & naufragium fecit : Sic Rex quoque tuus proaui illius ſui pietatem, fortitudinẽ, fidemq; imitatus, contẽptis omnibus minis,atque periculis,(etſi à Sixto v.Pontif.Rom. noſtri temporis diris deuotus atque proſcriptus fuiſſet)Henrico tamen III. Regi tuo agnato, affini, atque patrono ſuo opem ferre,& contra hoſtium eius vim,& impetum,operam fideliſſimam præſtare non dubitauit; cuius quidem ſuæ fidelitatis fructum ſtatim ampliſſimum cepit, & idcircò meliore,quàm proauus eius,fortuna fuit vſus.

Quum igitur tale ſit Regis tui Chriſt. cùm paternum,tum maternum genus,planè regium, tam vetuſtum, tam ſplendidum, tam clarum, tam magnificum, ab vno ferè eodémque fonte deriuatum, & cùm tales ſint vtriuſque generis illius parentes, aui, proaui, maiores,regali laude, dignitatéque præditi, quis quæſo inter vos Francos, tam perditæ profligatæque fuerit audaciæ,& improbitatis, qui illum non Regia hac dignitate ( quam à maioribus ſuis hæreditario Regni iure accipit) digniſſimum iudicet, eique tanquam iuſto, natiuo, & legitimo ſuo domino parẽdum eſſe exiſtimet, cùm præſertim vtriuſq;

generis parentum atque maiorum suorum virtutes tam strenuè imitetur, vt maiorem illis gloriam, quàm ipse acceperit, daturus esse videatur. Omnes boni, inquit Cicero, nobilitati fauemus (quam idem blandam conciliatriculam appellat) & quia vtile est Reipub. nobiles homines dignos esse suis maioribus, & quia valet apud nos clarorum hominum, & benè de Repub. meritorum memoria etiam mortuorum. Meritò igitur te, omnésque bonos nouo huic tuo Regi fauere decet, quem paternam, auitam, ac maiorum suorum gloriam, laudémque tanquam hæreditatem, & patrimonium pretiosissimum suis propriis virtutibus, laudibus, rebúsque gestis, non conseruare solùm, sed etiam augere quotidie, & amplificare videmus.

Gaude igitur, & lætare, ô Gallia (quo etiã nomine plurimum tibi gratulor) quòd Regem nacta es genere & patrio, & materno, non nouo, sed antiquo: non humili & obscuro, sed claro, illustri, planéque regio: non externo, & peregrino, sed domestico, & intestino, Regio inquam illo Gallico, & Francico sanguine oriundum, ad quod sine vlla controuersia ac dubitatione, omniúmque confessione, optimo, iustissimóq; Regni ipsius iure, ac consuetudine perpetua, Regni tui ius, atque possessio pertinet, Regem postremò nacta es maiorum suorum vestigiis insistentem, facta illorum atque virtutes laudabiles fœlicissimè imitantem, ac proinde nõ genere tantùm, sed etiam ingenio, & virtutibus generosissimum.

Huc

Huc accedit regia, & egregia illius educatio, & institutio, quę & ipsa quasi altera quædam hominis natiuitas seu generatio meritò censeri debet, cùm sit vitiosæ, prauæ, & corruptæ nostræ naturæ quædam quasi regeneratio, hoc est, instauratio, correctio, & emendatio: & ad vitiosam, deformem, corruptámque nostram naturam, qua nascimur omnes, regenerandam quodammodo, & recreandam, id est corrigēdam, & emendandam plurimum conferat, atque conducat. Ac maximam quidem vim puerilem educationem, ac institutionem, vel ad virtutem, vel ad vitium, vel ad decus, vel ad dedecus habere tam certum est, quàm quod certissimum: ita vt illa verissimè totius reliquæ vitæ quasi basis, seu fundamentum dici posse videatur. Nam teste experientia quotidiana, qualis est cuiusque educatio puerilis, talis reliqua vita, mores, actionésque esse consueuerunt, iuxta illa Horatiana. Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. Et, vt inquit Vegetius, non tantùm celeriùs, sed etiam perfectiùs imbibuntur, quæ discuntur à pueris. Quòd si igitur in accipitrum, auium, canum, aut aliorum animantium educatione, quæ vel animi, & voluptatis gratia, vel ad venationē, ad equitationē, ad vecturam, ad custodiam, ad agriculturam, aliúmue vitæ humanæ vsum aluntur, plurimum operæ, studij, atq; laboris cōsumitur: quàm turpe quæso est, non multò plus operæ, studij, atque laboris in liberorum educatione, & institutione collocari, qui partim ad Deum colendum, partim

ad humanæ ſocietati inſeruiendum, & denique ad æternam & immortalem illam vitam adipiſcendã nati, & in his terris à Deo collocati ſunt. Etſi vero cuiuſuis etiam priuati, vel viliſſimæ, abiectiſſimæq; ſortis, & fortunæ hominis probam, diligentem, accuratámque inſtitutionem eſſe decet: tamen illorum præcipuè nequaquam negligenda, ſed ſummo potius ſtudio procuranda eſt educatio, atque inſtitutio, & illorum vitæ, atque moribus hæc adhibenda eſt cultura, qui plurimis aliquando ſunt præfuturi, & idcircò non ſibi tantùm, ſed plurimis aliis plurimum ſanè vel prodeſſe, vel obeſſe poterunt: à quorum inquam, vel probitate & virtutibus, vel improbitate atque vitiis, non paucorum tantùm hominũ, vnius familię, vel ciuitatis, ſed hominum innumerabilium, ac totius alicuius gentis, atque regni vel ſalus, vel exitiũ atq; interitus depẽdet.

Hic igitur, ô Gallia, ſocia, ſorórque chariſſima, meritò tibi rurſus gratulor quod Regem non regio ſolùm genere natum, ſed regaliter etiam, egregiéque educatum, regiis, & egregiis pacis, bellique artibus probè ab ineunte ætate excultum, & informatum es conſecuta. Rex, inquit Plato, non naſcitur in Repub. quemadmodum inter apum examina corporis & animi do tibus cæteros antecellens, ideò neceſſe eſt eum probè diligentérque ad reipub. adminiſtrandæ munus erudiri atque inſtitui. S. Chyſoſtomus educationis liberorum neglectionem non dubitauit parricidium appellare: quam ob cauſam Heli ſummum ſacerdotem, virum alioquin piũ & re-

& religiosum, horrendas in senectute pœnas luisse legimus. Id si in priuatis culpadum, quantò magis in principibus. & Regibus, qui non sibi tantum, sed multis hominum myriadibus nati sunt.

Nam primum quidem quum nondum 10. natus annos patrem suum, gloriosæ & illustris memoriæ, Nauarræ Regem amisisset, singulari Dei consilio, atque benignitate, ipsa matre sua, diuinæ virtutis fœmina, optima fidelissimáque pietatis, fidei, religionis, charitatis erga Deum, & proximum, aliarúmque virtutum magistra, vsus est, quæ partim pręceptis suis atque monitis sapientissimis, partim piæ, sanctæq; vitę suæ exemplo, (cuius maxima vis est atque pondus) ad omnem Regiam virtutem ipsum pręclarè erudiuit. Ac ipse quidem pater (vt ex viris fide dignissimis, qui ei tunc adfuerunt, intellexi) iam iam moriturus, animámque suam Deo traditurus, hunc suum filium Reginę coniugi suę, licet absenti, magnóque à se locorum interuallo disiunctę, per quosdam, qui aderant, vnicè commendauit, ipsique filio suo hoc per eosdem præceptum dedit, vt sese fidelissimę suę matris disciplinę totum subiiceret, eiúsque pręceptis, atque monitis libentissimè obsequeretur, iuxta illa Salomonis, Audi fili mi, castigationem patris tui, & ne abiicias legem matris tuę. Nam hęc sunt in capite tuo additamentum gratię, & torques circa collum tuum. Sic ergo mater tui Regis, quę illi post Deum vitam hanc mortalem dederat, eidem & vitę huius, bene, sapienter, fœliciterque

degendę,& æternę illius vitę conſequendę,optima,ſaluberrimáque pręcepta dedit,& cum materno quaſi lacte inſtillauit. Non irritum autem & inanem,ſed fructuoſiſſimum hunc illius fuiſſe laborem,ipſe certè euentus, & experientia quotidiana, illius virtutes , & facta pręclara ſatis ſupérque teſtantur; vnde non tam in ipſum,quàm in totam patriam veſtram, atque Regnum ampliſſimum vberrimi commodorum , & ornamentorum fructus redundant. Tantò autem pręſtantior materna hęc diſciplina , & educatio iudicari debet, quò illam videmus eſſe maiorem.Nam plęrumque illuſtris pręſertim conditionis, atque fortunę liberos, parentum, ac imprimis matrum vel negligentia , & incuria , vel peruerſa,prępoſteráque indulgētia,& molli,delicata, ac eneruata educatione corrumpi potiùs, ac deprauari,quàm corrigi,& emēdari, bonámque ad frugem perduci videmus , & experimur ferè quotidie. Contra quem communem morem , ac conſuetudinem Regis tui mater , verè materno, pióque erga illum affecta animo , non negligenter,remiſsè,languidè, molliter,& delicatè , ſed ſumma adhibita ſeueritate , grauitate, induſtria, diligentia, cura, & ſolicitudine filium hunc ſuum inſtitui, & erudiri curauit, ita vt non tam in illius ſinu,atque gremio molli,& delicato,quàm in ſanctiſſimis eius ſermonibus,pręceptis , atque monitis optime fuerit educatus. Apud Romanos illos totius orbis terrarum olim domitores , atque dominos , legimus illuſtres quaſque familias aliquam è maioribus natu ſpe-

ctatę pro-

ctatę probitatis, ſapientięque fœminam eligere fuiſſe ſolitos, apud quam liberi ſui educarentur. Sic enim Corneliam Gracchorum, Aureliam Cęſaris, Actiam Auguſti matrem, principum liberis educandis, ac moderandis pręfuiſſe, literis memorięque eſt proditum.

Sed vſa prętereà eſt ad filium hunc ſuum probè educandum virorum pietate, ſapientia, virtutibus, & optimarum artium ſcientia præſtantiſſimorum fideli opera, atque miniſterio. Adhæc dedit operam, vt ſtatim à pueris non prouectæ tantùm ætatis, ſed etiam æqualium familiaritate, & conſuetudine vteretur optimorum, qua quidem ipſe cùm bonis probiſque moribus, tum ſcientia tantò faciliùs augeri poſſet. Et ſanè multi piorum, doctorum, ſapientúmque virorum conſuetudine plus longè proficiunt, quàm vel aſſidua, & diuturna librorum optimorum lectione, vel longinquis, diuturniſq; peregrinationibus. Contrà autem Mammęam illam Alex. Imp. matrem, fœminam præſtantiſſimam imitata, turpis & infamis vitæ, morúmque homines, vt hiſtriones, mimos, moriones, turpiloquos, lenones, paraſitos, totúmque illud adulatorium agmen (quod, vt rectè poëta ille cecinit, media procedit ab aula) ab illius conſortio, conſuetudine, colloquio, conſpectúque arcerę, ac ſummouere ſedulò ſtuduit, ne improborum morum, geſtuum, dictorum, factorúmque quaſi peſtifera contagione, tenella & infirma illius ætas atque animus inficeretur.

Iam verò cui eſt dubium, quin cuiuſuis edu-

catio ad illud potiſſimùm munus, vitæque genus, ac inſtitutum, cui aliquando obeundo, atq; gerendo quis eſt deſtinatus, accommodari debeat? vnde, exempli gratia, aliam eius, qui Eccleſiæ, aliam eius, qui Reipub. aliquando ſit pręfuturus educationem, inſtitutionémque eſſe oportet. Atqui cùm in Rege, non modò iuris, legum, rerúmque politicarum, ſed rei etiam bellicæ, ac militaris magna ſcientia requiratur, hic tuus Rex & politicis, & bellicis in rebus ſtatim à pueritia diligentiſſimè fuit inſtitutus, & informatus, vnde mirum profectò non eſt, tantam, & tam admirandam in eo eſſe artium pacis, ſimul atque belli peritiam. Ac Martis quidem armorúmque magiſtris optimis, ac fideliſſimis vſus eſt, pręter alios cùm patruo ſuo Ludouico principe Condæo, heroicæ virtutis, fortitudiniſque incomparabilis viro, tum Gaſpare Colignio Caſtilionæo, magno illo quondam Thalaſſiarcha, ſeu claſſis, reíque maritimæ præfecto, qui immortalem poſt ſe reliquit gloriam, & quo cùm aliis virtutibus, tum præcipuè rei militaris ſcientia vix præſtantior vllus in Galliis extitit. Nec verò ille armorum tantùm, ſed etiam morum eius rector ac moderator optimus & ſapientiſſimus fuit. Ac quoniam Regis tui ætas in medium belli ciuilis, rerúmque omnium diſcrimen, atque certamen inciderat. ludus illius, atq; ſchola ab initio ætatis fuerunt caſtra, eíq; palæſtra, ſol, puluis, labor, militia in ſtudio ſemper fuit, vnde excellentem hanc quam admirantur omnes, rei militaris ſcientiam, non vel magi-

ſtrorum

ſtrorum voce, atque ſermonibus, vel librorum, & hiſtoriarum lectione, ſed vſu ipſo, & exercitatione aſſidua ſibi comparauit. Ludi quoque illius, & exercitia puerilia, quibus à teneris annis fuit deditus, fuêre verè regia, reíque bellicę quaſi progymnaſmata, vt pilę ludi, curſus, ſaltus, venatio, natatio, equitatio, decurſio equeſtris, campi curſio, haſtiludium, iaculorum & ſclopetorum emiſſio. Nam quoniam pueri ludis maximè ducuntur, ac delectantur, ſapientes pædagogi omnem dant operam, vt puerorum, quibus præſunt, ludi negotiis atque muneribus ſeriis, quæ aliquando, vbi ad virilem ætatem peruenerint, ſunt obituri ſint accommodati, quò quaſi per iocum, atque ludum res ſimul ſerias atque vtiles diſcant. Tales fuerunt quoq; Regis tui ludi, quibus à primis annis fuit deditus, planè regij, & imperatorij, illius muneris, & officij quaſi prępludia quędam, & progymnaſmata. Artibus prętereà, & diſciplinis liberalibus, quantum ei per bellicas occupationes licuit, operam tribuit, ita vt & linguę Latinę aliquam notitiã ſit adeptus, & Italicę, atque Hiſpanicę non ſit ignarus. Denique in hiſtoriis ſacris & prophanis admodum eſt verſatus: quorum cognitione cùm ad omnem vitę vſum, atque munus, tùm ad reipub. regníque adminiſtrationem nihil ferè eſt vtilius, & accommodatius. Ac omnino cogitanti mihi, & veterem illam filiorum regiorum apud Perſas educationem memoria repetenti, Regis tui educatio videtur illi eſſe quàm ſimillima. de qua ſic Plato in Alcibiade. Poſtquam enim puer

ſeptimum ætatis annum attigerat, rei equeſtri, atque venationi dabat operam, idoneis ad id vtẽs magiſtris. Anno autem decimo quarto pueri curam ſuſcipiebant ij, quos illi Regios pędagogos appellabant, qui erant ſelecti e Perſis. IIII. conſtantis ætatis viri, quorum vnus ſapientiſſimus, ſecundus iuſtiſſimus, tertius temperantiſſimus, quartus fortiſſimus habebat: Horum primus ſapientiſſimus Diuinum cultum, & Regia inſtituta puerum docebat, Secundus iuſtiſſimus puerum illum Regium docebat, per vniuerſam vitam vera dicere. Tertius temperantiſſimus, monebat vt ne vllius voluptatis imperio, & libidini ſe ſubiiceret, ſed maturè aſſueſceret eſſe liber, & reuera Rex, iis primum imperans quę in ipſo ſunt, non autem illis ſeruiens. Quartus fortiſſimus, puerum reddebat impauidum, & intrepidum: quippe cùm is, qui timet ſit ſeruus. Horum igitur primus cultus diuini, ac legum, & inſtitutorum regiorum, Secundus veritatis, & iuſtitię, tertius temperantię, & continentię, quartus fortitudinis doctor ac magiſter erat. Omniũ autem harum virtutum, quæ cùm in omni homine, tùm pręcipuè in Regibus valde ſunt neceſſariæ, magiſtram habuit matrem ſuam, quę ſpectatę pietatis, religionis, veritatis, fidei, temperantię, caſtitatis, ſobrietatis, frugalitatis, fortitudinis denique fuit mulier.

Regia ergò planè fuit Regis tui educatio, ſiue matrem eius reginam clariſſimam ſpectes, qua ille non ſolùm procreatrice, ſed etiam nutrice, & vitæ, morúmque educatrice, atque magiſtra optima,

optima,& fidelissima vsus est: siue modū ipsum, formámque educationis, quæ Regia fuit,& Regi futuro conuenientissima, consyderes, quę & ipsa tibi meritò & optime de hoc tuo Rege sperandi,& illum amore, studio, obseruantia, & obedientia debita prosequēdi causa debet videri iustissima,& stimulus acerrimus.

Multa quoque hic referri & commemorari possent prçclara eius facta, dicta acuta, atq; salsa quæ in ætate illa puerili eius fuerunt ingenij, atque acuminis specula, futuræque dignitatis indicia ac testimonia, quibus magnam sibi apud omnes gratiam, beneuolentiámque conciliauit. Quinetiam verissimè affirmare possumus illas ipsas funestissimis belli ciuili funestissimas clades,& calamitates, quibus puerilis illius ætas exposita fuit & obnoxia, illi patientię, fortitudinis, omniúmque virtutum fuisse magistras, & quasi cotes. Vexatio, inquit propheta, dat intellectū: Itaque Rex tuus à pueris, plurimis diuexatus, & exercitatus malis, miseriis, & ærūnis simul maiori in dies scientia, atque sapientia auctus fuit. Idem de Rege tuo verissimè affirmari potest, qui puer innumerabiles exantlauit labores, perpessus est ærumnas, subiit atque sustinuit pericula: vnde illum ad glorię, atque laudis metam quotidie propius accedere videmus, donec optatissimū, & perfectissimum illum æternę glorię scopum contingat, & coronam reportet immortalē. Etsi autem mater Regina Nauarrena, illam ditionem, atq; regnum suum partim suis, partim fidelissimorū,& sapientissimorum viro-

rum consiliis, atque opera optimè, fœlicissiméque administrabat: tamen filium quoque suum licet adhuc puerum in Regij illius sui muneris societatem asciscebat, quo ille statim à pueris tractandis Regni habenis assuesceret. Nam à teneris, vt poëta ille ait, assuescere multum est. Vsus ergo statim ab initio ætatis, Regij illius sui muneris socia, imò non tam socia, & administra, quàm magistra cùm sua matre, (cui se semper morigerum, & obsequentem præbuit) singularis ingenij, iudicij, consiliíque fœmina, tum aliis optimis, & sapientissimis viris, ita statim ab initio sese gessit, vt omnibus eius imperio, potestatíque subiectis, non gratus solùm, & iucundus propter suauissimos mores, verùm etiam propter multa, quæ dedit, egregiæ indolis, & ingenij documenta, maximæ admirationi fuerit. Et hic quidem fuit probæ & eximię illius educationis fructus longè præstantissimus, qui in totum illud regnum statim redundauit. Suæ enim tum sapientiæ, tum iustitię, tum fortitudinis, tum imprimis facilitatis, humanitatis, lenitatis, atque clementiæ in tenera adhuc illa sua ætate clarissima edidit specimina. Erga omnes cuiuscunque ordinis, status, fortunæ, religionísue homines se valde facilem, comem, & humanum præbuit, ac non modò nemini vllam vel minimam intulit iniuriam, neminem læsit, sed multorum etiam offensas remittere, & condonare, quàm vlcisci, ac persequi maluit; vnde multos sibi ex inimicissimis amicissimos, fidelissimósque reddidit. Et quemadmodum ipse nemini vllam iniuriam intulit,

intulit, ita nec ab aliis iniuriam cuiquam inferri passus est.

Et hęc fuerunt Regij illius muneris quasi incunabula, initia, ac prima rudimenta, minimè contemnenda, sed pręclara & eximia.

Habes igitur, ô Gallia, Regem Regię & Imperatorię artis minimè rudem, imperitum, & ignarum, sed in hoc, omnium vt maximo, ac pręstantissimo, ita difficillimo, laboriosissimo, periculosissimo regnandi & imperandi munere, ab initio ætatis versatum optimè, & exercitatum. Nam cùm in omnibus aliis vitę muneribus, atq; negotiis, tum in hoc omnium maximo & difficillimo munere regali vsus & exercitatio plurimum valet: sine qua omnia vel optima vtilissimáque pręcepta, ac instituta videntur esse quasi corpus sine anima.i.mortua ac nullius ferè momenti. Vnde sapienter Cicero, Nec medici, inquit, nec imperatores, nec oratores, quamuis artis pręcepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine vsu, & exercitatione consequi possunt. Experientiam similiter Aristoteles, Poli viri sapientissimi testimonio probat, artis atq; scientię parētem esse, & procreatricem: id quod tui quoque Regis exemplo facillimè comprobari, ac confirmari potest; qui quidem vel ipsa experientia eximiam hanc sibi bene regnandi, imperandíque scientiam peperit, quæ tibi nunc vtilis valde est, & fructuosa. Quia verò, ô soror charissima, hęc mea ad te oratio gratulatoria est, libenter prætermitto tum nuptias illas funestissimas, tum ea quę à die 24. Augusti Anni 1572. ad

finem anni 1574. acciderunt: quum hic Rex tuus singulari Dei prouidentia & auxilio ex aulica custodia, simúlque ex grauissimis periculis excessit, euasit, erupit. Nimirum Deus hac ratione testatam voluit paternam suam atque admirabilem curam erga tuum Regem: & hoc exemplo docuit, humanos conatus aduersus Dei consilium nihil posse. Atque vt in hoc tuo Rege aliquid cæleste & supra naturam contemplemur facit quod noua stella quę anno 1572. fulserat visa sit 17. post annis apparere: quasi nouum hunc Regem ex tot malorum tenebris tandem emersum fœliciter exceptura.

Rursus ô Gallia velim cogites, Regem te habere non in regali hoc munere peregrinum & hospitem, imperitū, & rudem, sed peritum valdè, & exercitatum, qui scientię huius atque artis regalis plurima iam & maxima documenta dedit, quibus non apud domesticos tantùm, sed etiam externos atque peregrinos maximam nominis famęq; celebritatem, laudem, atque gloriam sibi comparauit. Eius enim prudentia, æquitas, clementia, & regię omnes virtutes in Bearnia & inferiori Nauarra regenda, & in gubernandis suis subditis clarissimè eluxerunt. Per aliquot igitur annos, quum Henricus III. tibi & Henricus IIII. nouus hic tuus Rex Bearnię & Nauarrę benè feliciterq; imperarent pax vtroq; in regno fuit quæ anno M.D.LXXX. mense Nouēb. inter Romanę & Reformatę religionis studiosos, regio edicto, inita atq; sancita fuit, quod quidem edictum regiū & pacificatorium ipsius

Regis

Regis mandatu, publico pręconio, per totam Galliam fuit promulgatum. Paulatim itaque patria tum tua à prętcritis malis, miseriis, turbis, atque molestiis respirare, ac reuiuiscere, viresq́; paulatim rursus colligere atque recuperare cœpit. Nam iustitia religiosa legum sanctione & obseruatione vires paulatim recolligebat: Pietas ius suum (cuius iacturam insana effrenatáque annorum licentia maximam fecerat) in hominum animos, & conscientias repetebat. Nobilitas diuersis studiis, factionibus, & inimicitiis depositis, mutua rursus lenitate charitatéque coalescebat. Plebs post innumeras ærumnas, à bellicis & infestis istis depopulationibus immunis, labore atque sudore partis iucundè fruebatur. Denique belli calamitates, inimicitiæ, atque simultates grauissimæ, breui temporis spatio per ἀμνηστίαν, obliterabantur, ac sepultæ iacebant. Sed tandem anno 1585. extremo Martij, fatalis rursus quædam calamitas incidit, & improuidas hominum mentes occupauit, iustóque Dei iudicio domesticum & intestinum istud bellum, quod, ad tempus aliquod sopitum fuerat, certorum quorundam hominum culpa, religionis, iustitiæque specie, & simulatione ex interis quasi rursus excitatum, ac redintegratum fuit; & coniuratio illa quam Liguam vocant, ex tenebris atque latebris erupit, palámque armata in regno Gallico volitare, atque grassari cœpit. Non autē ignoras, Gallia, socia, & fœderata charissima, qui postremi huius tui belli (cui Deus mox finē imponat) quo adhuc premeris, & affligeris,

quaſi tubę, buccinę, faces, pręcipui duces, auctores, ac principes extiterint, qui eius quaſi claſſicum cecinerint, à quibus fax iſta fuerit accenſa, quorum nonnulli diuini iudicij ſeueritate, atque iuſtitia pœnas iam graues, & atroces dederunt, (ita vt omnes nominare non ſit neceſſe) reliqui niſi reſipuerint, & à cœptis auſiſque iſtis ſuis deſtiterint, non eſt quod impunè ſe id laturos exiſtiment. Non es neſcia, quàm honeſti, religioſique in ſpeciem illorũ prętextus fuerint, quibus cauſis, & rationibus ſe ad arma capienda, bellúmque hoc ſuſcipiendum adduci, & impelli palàm proteſtati fuerint: quibus illi plurimos in patria tua nobiles, proceres, ciuitates, ad eiuſdẽ belli, quod videbatur eſſe ſanctiſſimum & iuſtiſſimum, ſocietatem pertraxerint. Spem etiam fecerant Regi tuo defuncto, & aliis, ſe paucos intra menſes, omnes nouę & reformatæ ipſius Religionis, (cuius cultores Hugonoti vulgò appellabãtur) reliquias exterminaturos & totũ regnum ad vnam religionem atque fidem, ad pacem & trãquillitatem, ad priſtinum ſplẽdorem, dignitatémque eſſe reuocaturos. Plurimum illi nitebantur atque confidebant exterorum & potentiſſimorum quorũdam Regum, Principum, populorúmque auxiliis: quę quidem illis non defuerunt. Quid hęc, Rex tuus defunctus egerit, quomodo ſe ab initio belli huius geſſerit, neminem latet. Nam literis nuntiiſque ad Regem Nauarrenum, proximum ſuum agnatum, ad regni proceres, ad externos etiam principes miſſis, apertè & palàm proteſtatus eſt, bellum iſtud

contra

contra voluntatem, & maieſtatem ſuam ſuſceptum eſſe,atq; geri:& idcirco ſimul omnes grauiſſimè adhortatus eſt ad opem ſibi ferendam, & ad ſe totúmque regnum aduerſus iniquam & iniuſtam coniuratorum iſtorum vim tutandum, ac defendendum. Edictum quoque pacificatorium editum anno LXXX. eodem tempore, (anno nimirum LXXXV.) renouari, ac denuo promulgari curauit. Sed paulò poſt mutato rurſus conſilio atque ſententia,& inita cum coniurationis, vel ſacri illius fœderis ſociis pace, cōſilia rurſus illorum, atque conatus palam approbauit,iiſque aſſenſum prębuit,edictum prętereà pacificatorium anno LXXX. primùm editum, deinde anno LXXXV. renouatum,ac rurſus publicatum, eodem anno reuocauit, & nouo edicto XVIII.die Iulij publicato,religionis,reformatę cultum, & exercitiū capitis pœna grauiſſimè prohibuit. Et tamen multorum ſermones Regem tuum inuitum hęc omnia, & quaſi oppreſſum facere teſtabātur: At verò idem hoc triſte, funeſtúmque bellum nouo huic tuo Regi fuit quaſi campus quidam(quem ei Deus dedit) amplus, & ſpatioſus, in quo diuina eius virtus excurrere, cognoſcíque poſſet. Ac ab initio quidem iſtius belli non te fugit, ô Gallia, quàm inuitus hic tuus Rex(quem idcircò verè Solomonem,paciſque filium,hoc eſt,pacificum,& pacis amantem dixeris) ac nō niſi extrema compulſus neceſſitate,ad arma rurſus ſumenda, bellúmque ſuſcipiendum acceſſerit. Recordare hic quęſo, mente memoriáque recole,quàm bono fortíque

animo ſtatim ab initio, duello ſeu monomachia cum primario belli iſtius auctore atq; duce cõgredi (etſi minimè dignitate & nobilitate ſibi pari) cum magno vitæ dignitatiſq; ſuę diſcrimine, atq; ita caput, fortunas, vitam, dignitatémq; ſuã patriæ deuouere, ac cõſecrare paratus fuerit? Satius enim eſſe apertè profitebatur, vel alterutrũ, vel ambos perire, quàm tot hominum millia (id quod euenturũ eſſe proſpiciebat, quod etiã euenit) calamitoſiſſimo illo bello rurſus implicari, miſerriméq; interire. Duello igitur vitã, dignitatẽ, fortunáſq; ſuas omnes pręſentiſſimo offerens periculo, libenter chariſſimã ſuam patriam triſtiſſimo funeſtiſſimóq; iſto bello, quod pręuidebat, plurimorum funerũ, atque malorum fore cauſam, liberaſſet, pacémque patrię, dignitatis, ſanguiniſque ſui profuſione redemiſſet. Non igitur iuuenili quodam ardore, non cæco, & pręcipiti animi impetu, non temeritate, & audacia, non ira, non vindictæ cupiditate, non ambitione, ſed deliberato conſilio, flagrantiſſima patrię, regníque totius charitate, atque cõmiſeratione adductus, & impulſus: & cùm cauſę ſuę bonitate, conſcientiæq; puritate, tum Dei potiſſimũ fretus iuſtitia, miſericordia, atque opę, nulla nec vitæ, nec dignitatis ſuæ ratione habita, ſingulare iſtud certamen cum pręcipuo incendij iſtius auctore, Sacrique (vt vocant) fœderis duce, ſuſcipere, capútque ſuum pro patria in diſcrimen offerre, atque obiicere paratiſſimus fuit. Boni enim imperatoris eſt, inquit Plutarchus, ciuium ſalutem ſuæ incolumitati anteponere. An non quæ-

ſo hic

ſo hic illius conatus cùm amoris erga patriam longe maximi, tum purę, ac ſinceræ conſcientię, tum denique magni excelsique animi ſignum & iudicium fuit manifeſtiſſimum, cùm ſuo ſanguine tot tantóſque miſerias, atque calamitates, quas toti Galliæ impendere cernebat, redimere, atque auertere voluerit? Deinde nonne multis ſcriptis in lucem editis, multis nũtiis, literíſq; ad Regẽ, ad Reginam matrẽ, ad Clericos, ad Nobilitatẽ, ad tertium Statum, vt vocãt, ad Pariſiẽſes, ad Collegium Sorbonicũ, ſtatim ab initio iſtius belli (quod aduerſus ſe potiſſimũ, familiámque ſuam inſtrui, & comparari animaduerterat) miſſis, apertè teſtatus eſt, nihil ſe malle quam pacem & concordiam, quàm patriæ ſalutem, Regis regníque dignitatem: ſe ab omni bello ciuili præſertim inteſtino, ceu patriæ pernicioſiſſimo, toto pectore abhorrere, omnes ab armis, atque bello ad pacis concordięque ſtudium grauiſſimè eſt adhortatus, denique teſtatus eſt, ſe inuitum ac neceſſariò, vis hoſtilis à ſua & ſuorum vita, atq; fortunis arcendæ, ac depellendæ gratia adigi, & impelli. Nihil enim omnes illæ literæ atque ſcripta in lucem edita aliud fuerunt, quàm adhortationes ad pacem, & concordiam, dehortationes à bello, atque armis, quàm querelæ, & deplorationes miſeriarum, & afflictionum totius patrię, quàm teſtificationes ſui animi, pacis, concordię, ſalutis, dignitatíſque communis cupidiſſimi, à bellis, atque tumultibus abhorrentis & alieni, quàm preces, atque vota ardẽtiſſima, quàm petitiones iuſti legitimíque alicuius Concilij, ſiue

OEcumenici, siue Nationalis, quo Religionis cõtrouersię diiudicari, & Ecclesię pax cõstitui posset, quàm deniq; vaticinia, verè diuina, de futurarum rerũ euẽtu, de futuris cædibus, atq; lanienis, de diuina vitæ causæq; suæ iustissimę defensione, de futura vindicta, & vltione diuina, de hostium suorũ certissimo exitio, atque interitu: quę ipso euentu partim iam cõprobata esse, partim magis magísq; cõprobari nemo sanę mentis inficiari potest. Ne te pigeat quæso hæc, ô Gallia, in mẽtem tuã reuocare, dininas illius prædictiones, quę in literis illius extant: ex quibus ipsis patet diuino illũ duci spiritu, atque numine, & idcircò dignissimum esse, quem nõ solùm diligas, & obserues, sed etiã suspicias, & admireris. Eius rei aliquot tantùm ex plurimis proferam testimonia: ex quibus de reliquis facile est iudicare. Epistolam Bergeraco ad Regem defunctum anno LXXXV. 21. Iulij missam, his verbis concludit: Interim istis in malis mea me consolatur innocentia, & integritas, amor, fidésque mea erga maiestatem tuam, atque Rempub. quódque mihi sum conscius, per me non stetisse, quo minus illam vel vitæ meæ periculo liberarem à naufragio. Fretus igitur Deo, defensore meę æquitatis, iustitiæ, atque fidei tutore, persuasum exploratúmque habeo, illum mihi semper fore propitium, méque vi iusta nequaquam deserturum, sed ope, auxilióque præsto mihi semper futurum, & maiores in dies additurum vires, atq; animum aduersus hostes meos, qui iidem etiam tui sunt hostes. Hũc supplex oro, vt Maiestatem

tuam

tuam ſalutari iuuet atque regat conſilio, ſaluam incolumémque conſeruet, eique in tantis difficultatibus, atque periculis adſit: mihíque eam largiatur gratiã, vt quoad vixero iuſta debitáq; tuæ maieſtati præſtare poſſim officia, & obſequia. Epiſtolæ præterea eodem anno, vndecimo die Octob. ex Marſcano monte ad ampliſſimum ſenatum Curiæ Pariſienſis miſſæ hic eſt finis: Ieſum Deum appello, me Regi domino meo eſſe, & fuiſſe fidelem, à me diligi Galliam, à me viros bonos, & virtutis amantes coli, qui Galliã defendunt: à me acerbiſſimum dolorem percipi ex iſta rerum communium, omniſq; ſtatus perturbatione. Sed Deum ſpero hanc in me collaturùm gratiam, vt & ego hac in cauſa Regi domino meo, ita vt par eſt, inſeruiam, & omnes veri Franci, Regni patriæque ſuæ amantes, tam bene ſuum præſtent officium, vt breui mea opera cùm hoſtium ſuorum viſurus ſit exitium, & interitum, tum Regni tranquillitatem: quam ad rem certum mihi deliberatúmque eſt, ſanguinẽ, vitámque meam profundere. Literarum ad Collegium Sorbonicum eodem ex loco, atq; tẽpore miſſarum eſt clauſula. Teſtor autem vobis, me paratum eſſe iuſto ac legitimo concilio acquieſcere, paratum eſſe in eo audire Eccleſiam, itaque pro Ethnico & publicano haberi me à vobis non poſſe. Quòd ſi verò generale concilium haberi non poteſt, me à nationali (vt facilius expediantur omnia) non abhorrere, quam viam ſępe in hoc regno meminimus de iudicio, conſilióq; veſtro obſeruari. Quod ſi præter petitio-

nem meam, contráque omnem Ecclesiæ ordinem, morem, ac consuetudinem, proscriptionibus, cædibus, & aliis duris, iniquis, iniustis, planéque barbaris modis ampliùs agetur, constitui iustissimam defensionem omnibus violentísque istis proscriptionibus opponere, minimè dubitans fore, vt maledictione diuina illi inuoluantur, qui falso fucatóque Ecclesiæ prætextu Regno huic tantas turbas conciliāt. Vos autem testes appello æquissimarum conditionum, quas offero omnibus, quibúsque me obstrinxi. Deum verò appello testem, & defensorem, qui causæ meę æquitatem diiudicabit, ac pronuntiabit cōtra meos aduersarios: quem oro, vt vobis sit propitius. Eiusdem literę ex mōte Albano Cal. Ianuarij anno. M. D. LXXXVI. ad Clerum Franciæ datę, hunc habēt finem: Credo bellum, quod tanto animi ardore, atque contentione geritis, Christianis esse indignū, & quòd inter Christianos, & eos potissimum qui profitentur se doctores Euangelij, mouetur. Si bellum vobis tantopere arridet, si placet magis prælio, quàm Christiana disceptatione decertare, si sanguinaria coniuratio magis delectat, quàm Concilium, Lauo manus meas, sanguis, qui hinc effundetur, sit supra capita vestra: scio imprecationes eorum, qui affligentur, in me non cadere. Mea enim patiētia, mea obedientia, & rationes, quas adduxi, notæ sunt omnibus. Expectabo benedictionem Dei in iusta hac mea defensione: à quo precibus contendo, vt spiritum pacis, & concordię, vnde tranquillitas huius regni, & concordia Ecclesię

Ecclesiæ existat, vobis largiatur. Idem literas eodem tempore & loco misit ad tertium ordinem Franciæ, quarum hæc est conclusio: Nihil aliud à vobis expeto (qui ad ferenda potius, quàm inferenda mala nati estis) quàm vota, affectus, precésque vestras. Deum Opt. Max. orate, vt pro æquitate, iustitiáque sua segreget, atque secernat eos, qui fœlicitatẽ, ac salutem huius regni quęrunt, ab iis, qui eiusdem calamitatem & ruinam. Ego verò Deum obtestor, me nihil aliud exoptare quàm Regni, vestrúmque omnium commodum, ac salutem: ita me Deus amet, si vnquã ambitione, aut prauo aliquo affectu arma sumpserim. Literas quoque Calend. Ianuar. M. D. LXXXVI. ex Monte Albano ad Parisienses scripsit, sub quarum finem hæc continentur: Sed Deus nouit meum cor: sanguis eorum sit super auctores istarum miseriarum. Quòd ad me attinet, Deum precor, & precabor assiduè, sine vlla cessatione & intermissione, vt ipse viam aperiat, ac patefaciat, qua nomen eius sanctè colatur, Regni iustum obsequium, debitum exhibeatur, status huius regni in pristinam tranquillitatem, fœlicitatem, dignitatem atque splendorem vindicetur. Literæ ad Reginam Bergeraco I. Decemb. anno M.D.LXXXV. Nemini absurdum & ab officio meo alienum videri debet, quòd omnem adhibeo operam, vt me tueri, ac conseruare, & hostes meos opprimere possim. Hic cũ maximo animi mei dolore atque cruciatu maximas prępuideo clades, & calamitates, quę in hoc Regnum redundabunt. Sed Deus nouit, nouisti

tu quoque, Domina, quis illarum culpam sustineat. Conscientiam habeo puram: naturæ ipsi aduersarer, si non vitæ familiæque meæ patrocinium, ac defensionem susciperem. Videbo illum diem, Domina, quo Rex & tu, sed nimis forsan sero, cognoscetis, & experiemini, qui sint illi, quorum manibus arma dederitis, quorum manus vos amastis. nimis seræ erunt vestræ querelę de pace cum illis inita, & de bello quod subditis vestris fidelissimis infertur. Deus me tueatur aduersus illorum conatus, insidias, atque minas: eámque mihi gratiam impertiat, vt possim videre ruinam, & exitium meorum hostium. Maxima incommoda, atque dolores, quibus afficior, hæc mihi verba extorserunt, quæ oro Maiestatem vt bonam in partem interpretetur, quam Deus diu saluam, incolumémque conseruet. An non hæ illius literæ testes sunt locupletissimæ singularis eius pietatis, religionis, iustitiæ, innocentiæ, integritatis, fidei, amoris, charitatis erga Deum, erga Regem, erga patriam admirandæ? Nõne Deus, vt Psalmistę verbis vtar. (Ps. x x I.) Deus illi dedit cordis desyderium, & prolocutionem labiorum eius non prohibuit, hoc est illum precum istarum, atque votorum suorum fecit compotem; & iis plenè cumulatéque satisfecit, illius vaticinia (quæ S. Spiritus afflatu illum fudisse quis dubitet?) cùm de salutis dignitatísq; suæ conseruatione, & amplificatione diuina ac cœlesti, tùm de hostium suorum ruina & exitio, partim ad exitum iam perduxit, vel partim perducit adhuc quotidie, atque implet? Hîc quoque mihi

mihi in mentem venit(de quo à viris fide dignissimis ad me perscriptum est) cuiusdam doctrina pietatéque clarissimi, vaticiniũ: quod ille anno LXXXVIII.ante Guisianorum fratrum cędem in magnifico quodam epulo, quo à principibus quibusdam, doctísque nonnullis viris exceptus fuerat, edidit. Nam cùm de Regni rerúmq; Gallicarum statu incidisset sermo, atque mentio, ille magna parrhesia atque contentione dixit: Regem Nauarrenum, ( quem Deus tam diuturna adhuc cruce exercuit, atque probauit, ) breui ad summam dignitatem peructurum, & Ecclesiam Regnúmque Gallicum sub eo respiraturum ab immanissimis istis bellis, atque miseriis, & pristinam recuperaturum pacem, ac tranquillitatem. Hoc etsi illis, qui aderant, tunc temporis incredibile visum fuit, ac tantùm non ab illis irrisum, & explosum, ita vt bonus ille vir nonnullis delirare, & desipere videretur; tamen videmus illud iam impletum esse, & magis magísque adhuc quotidie impleri.

Hoc igitur modo Rex tuus (vt ad propositum redeam) pro pietate, sapientiáque sua se ab initio funesti istius belli gessit. Belli enim initiis, & nefariis eorum, qui illud indixerant, conatibus omni studio operáque sua obstitit, nihílque intentatum reliquit, vt pacem, qua ille vnicè delectatur, sartam tectam tueretur, omnémque bello isti viam intercluderet. Non igitur voluntate seu libidine quadam animi, sed inuitus, & extrema coactus necessitate, tentatis frustrà omnibus remediis bellum tandem, suæ nimirum

& ſuorum, imò totius Regni, Regíſque ipſius ſalutis, aduerſus hoſtilem vim & impetum, iuxta legem naturalem, atque diuinam pro virili ſua tuendæ, & defendendæ gratia ſuſcepit. Nihil enim illius arma voluerunt, niſi vt vim & contumeliam propulſaret, nihil egit cunctus illius exercitus, niſi vt ius ſuum tueretur & auctoritatem. Secutus eſt hac in re Cic. ſapientiſſimi viri conſilium, atque ſententiam. Bellum, inquit, ita ſuſcipitur, vt nil niſi pax quæſita eſſe videatur. Item: ſuſcipienda ſunt bella eam ob cauſam, vt ſine iniuria in pace viuatur.

Cùm itaque Rex tuus nullum pacis conſiliis atque monitis videret relictum eſſe locum, omnia contrà ſalutaria pacis conſilia, atque remedia, vi impediri, atque tolli; audaciam virtute, temeritatem conſilio, furorem fortitudine, manum manu, vim vi ſibi eſſe ſuperandum duxit. Huc accedebat Regis ipſius auctoritas grauiſſima, qui ipſius cæterorúmque Regni procerum opem, auxiliúmque ab initio implorauerat, cum ſcriptis publicis literíſque teſtatus fuiſſet, arma, belláque à ſacri illius fœderis vel potiùs impiæ coniurationis ſociis contra ſe, maieſtatem ſuam, totúmque Regnum moueri, ac comparari. His igitur iuſtiſſimis de cauſis arma tãdem ſumpſit, bellum ſuſcepit, exercitum confecit, rei prȩfuit, rémq; optimè fœliciſſiméque, Dei in primis auſpiciis ductúque geſſit; ac vt ab initio, ita in ipſo quoque belli curſu & ardore auctor ſuaſórque pacis ſemper fuit, pacem flagitare non deſtitit. Quàm verò in belli illius ad-

ministratione piè ac religiosè, quàm prudenter, & sapienter, quàm fortiter, quàm clementer, quàm moderatè sese gesserit, testes sunt non illius modò amici, atque socij, siue domestici, siue externi, verùm etiam hostes & inimici vel acerbissimi. Itaque bellum hoc ipsum anceps, atque dubium, quod aliquot millia hominum breui tempore absumpsit, eximiarum eius virtutum, imperatoriarum vt fortitudinis, ac scientiæ bellicæ, prudentiæ, sapientiæ, clementiæ, patientiæ, iustitiæ, temperantiæ, fœlicitatis denique, atque fortunæ, seu fauoris potius erga illum diuini, quasi theatrum quoddam excelsum, & sublime fuit. Egregia honestáque in illo exempla vidisti, omniáque munera imperatoria ita egregiè obiit, vt nihil in illo desyderari potuisse videretur. Mira enim fuit illius solertia, & sagacitas in hostium insidiis præcauendis, in illorum consiliis, itineribus, conatibus explorandis, & cognoscendis. Omnibus velitationibus, præliis, oppidorum oppugnationibus interfuit, ac præfuit: princeps prælium iniuit, vltimus prælio excessit: magna fuit ad consilia ex tempore, atque è re nata capienda eius animi vis, atque solertia: incredibilis inediæ, sitis, frigoris, caloris, vigiliarum, laborum militarium patientia, ac tolerantia, ita vt nunquam militibus plus laboris imposuerit, quàm sibi sumpserit. Summa in rebus gerendis & conficiendis celeritas, quam in Alexandro, Q. Curtius, in C. Iulio Cæsare Suetonius maximè laudant: cuius præsidio illos res incredibiles confecisse testantur. Commemorabi-

lis prætereà eius apparuit atque eluxit ſemper clementia, lenitas, ac manſuetudo, qua victis non inſultauit, ſed pepercit. Breui itaque tempore plurima caſtella, caſtra, atque oppida cepit, prælia ſeçunda fecit, victorias egregias reportauit, in omnibus ſuis pugnis, velitationibus, oppidorum oppugnationibus ſuperior ſemper, victórque euaſit: ita vt dubitari poſſet fortior ne an fœlicior fuerit, quæ tamen omnia ipſe pro ſingulari ſua pietate non ſibi, ſed ſoli in ſolidum benignitati diuinæ accepta retulit, vt ſermones & ſcripta quædam eius in vulgus edita teſtantur. Quò prætereà maioribus copiis, maiorıq; contentione ſeu furore potius ab hoſtibus ſuis potentiſſimis fuit oppugnatus, tantò clarior & luculentior eius ſemper eluxit virtus, ac fortitudo, palmæ inſtar inuictæ, & inexpugnabilis, tanto maior eius fuit fœlicitas, atque gloria, tantò denique maiora & illuſtriora diuini erga illum amoris, atque fauoris ſigna apparuerunt. Nam cùm toto hoc tempore decem, quod prorſus incredibile noſtræ futurũ eſt poſteritati aduerſus illum (cui exiguæ admodum erant copiæ) diuerſis in locis, Regij exercitus, & quidem maximi, omnibúſque rebus inſtructiſſimi fuiſſent comparati, & inſtructi, qui quidem certiſſimum illi minitabantur exitium, cùm hoſtes trimeſtri ſpatio Nauarrenum ſe deleturos, & omnes eius agnatos tota Gallia profligaturos iactitarent, tamen animo ſemper excelſo, impauido, & præſenti fuit, ac maximis illis difficultatibus, atque periculis non ſuccubuit: non animum
deſpondit,

despondit, sed diuina fretus ac fultus bonitate, restitit fortiter, ac contrà audentior iuit. Tandem igitur omnes illi exercitus (id quod velint nolint amici pariter atque inimici fateri coguntur) à Deo miraculosissimè partim fame & inedia, partim pestilentia, atque morbis, partim (& hic quidem minima ex parte) ferro, tormentis, & cædibus, partim metu breui tempore deleti ita fuerunt, vt ex eorum omnium reliquiis vix vnus iustus exercitus confici potuerit. Quis igitur dubitet, quin Deus ipse è Cælis pro Rege tuo pugnauerit?

Victoriam autem præ cæteris insignem, & claram Deo iuuante cõsecutus est aduersus Ioycusium Ducem Henrici III. Regis tui adfinem, cuius quidem exercitum maximum, copiis suis numero inferioribus vnius ferè horæ spatio vicit, fugauit, atque prostrauit, tormentis bellicis, atque vexillis omnibus captis, cæsa maxima militum manu, ducibus propè omnibus partim occisis, partim comprehensis, quos tandem gratis sine vllo lytro liberos dimisit. Illa itaque ipsa victoria cùm aliarum præstantissimarum eius virtutum, tum lenitatis præcipuè, ac moderationis eius singularis testis fuit, qua potiùs, non vt plærunque fieri consueuit, insolentem se ac ferocem, non vindictæ, & vltionis cupidum, sed clementissimum erga victos præbuit. Per totum itaque hoc quadriennium totam belli molem propè solus cum paucis suorum sustinuit, nullis tum adiutus externis auxiliis: & tamen sæpius cum hoste congressus, nunquam vi-

ctus, semper victor fuit. Nam quantum ad auxiliares illas Germanorum, Heluetiorúmq; meorũ copias attinet, quæ ad te, anno LXXXVII. aduenerunt, numerosissimæ licet illæ fuerint, tamẽ (vt notum est omnibus) cùm diuino iudicio tum hostium dolis atque fraudibus subitò ac vno quasi momento fuerunt dilapsæ: quo ipse Deus proculdubiò significare & tibi & mihi voluit, non in humanis copiis, atque viribus, sed in sola Dei potentia ac misericordia salutis spem omnem nobis esse reponendam: nec vt Salomon, inquit, in multitudine exercitus victoriam belli consistere, sed de Cœlo fortitudinem esse.

Sedne quod ei tentationis, & afflictionis genus deesset, coniunx quoque eius aduersus illum tum vi tũ dolis insurrexit, & copias, exercitúmq; misit, ei bellum intulit, donec tandem conatus illius fuerunt repressi, & ipsa à Rege defuncto fratre suo in quandam Aruerniæ arcem, tanquam in custodiam fuit traducta. Itaque vt Iobum olim singulare illud patientiæ exemplum, ita hunc quoque tuum Regem vxor eius afflixit: ita vt quę ei omnium ærumnarum, laborum, periculorúmque socia, & solatio esse debuerat, eius potius insidiatrix, & oppugnatrix extiterit. Accessit denique ad cumulum maximorum malorum, atque miseriarum Condæi fortiss. principis & fratris chariss. ac fidelissimi mors subita, immatura, & indignissima. Quàm quæso t[illegible] grauem, & acerbum hunc illi casum putas fuisse, socio illo & comite studiorum, periculorúmque suorum à se tam subita indignáq; morte orba-

te orbari?

Quid dicam de comitiis illis Blæsiis, quæ à Regni quibusdam ordinibus, atque proceribus, Regis defuncti auspiciis, & auctoritate, medio in bello contra Regem istum tuum potissimum indicta fuerunt agitata, ad quæ huic tuo Regi aditus fuit interclusus, cùm tamen ipse tanquam primus Regij sanguinis princeps, Regníque hęres, iis potissimum interesse debuisset. Illa verò Comitia tota videbantur ad exitiũ, interitumq; illius esse comparata, vnde etiam illis nondum finitis maximus aduersus illũ missus est exercitus, cui tamen ope auxilióque Dei exercituum, maiorem calamitatem inflixit, quàm ab illó acceperit, multa quoque castella, arces, atque oppida cepit: ita vt quò maiori contentione hostes illum oppugnarunt, & opprimere fuerunt conati, tantò maior semper virium ei facta sit accessio. Nunc autem recognoscas quæso mecum quis Comitiorum illorum exitus, & quæ fuerint consecuta. Admiranda profectò seu stupenda fuisse illa Dei iudicia atque miracula vidimus: & fuerunt mirabilia in oculis nostris. Cùm enim Rex tuus in maximo rursus discrimine versaretur, desperatæ, deploratæq; res illius esse viderentur, cùm noui exercitus, nouæ vires aduersus illũ instruerentur, ipse spe omni auxilij humani esset destitutus: ecce subito ac improuiso præter omniũ spem & opinionem Deus illi opem tulit. Illi enim ipsi, qui præcipui fuerãt omnium istorum malorum, atque turbarum auctores, quasi hęreditarij, qui exitium Regis tui spirabãt, qui prin-

cipem in Comitiis illis dignitatis poteſtatíſque locum tenebant, gratia & auctoritate plurimum pollebant, qui noua moliebantur aduerſus Regem tuum conſilia, quorum inuicta quodammodo adhuc & inexpugnabilis videbatur eſſe potentia, qui maximis cincti & ſtipati erant præſidiis humanis, ita vt ab omni periculo planè immunes eſſe viderentur, hi inquam omniũ grauiſſimi, potentiſſimi, immaniſſimíque illius hoſtes, illo abſente, inſcio, & ignaro, Regis defuncti Henrici III. iuſſu & mãdato, qui præuenire eos, quàm pręueniri ab eis prudentiſſimè maluit, partim trucidantur vti meriti ſunt, partim comprehenſi in vincula, atque carceres coniiciuntur. Ipſi illi conſiliorum, atque malorum omnium architecti, horrendis ſed bene meritis modis confoſſi, iugulati, capite truncati, combuſti, & in profluentem proiecti fuerunt: (cuiuſmodi variis ſuppliciorum generibus immeritò innumerabiles pios homines affecerũt.) Suppliciũ præterea illud ſtatim Reginæ matris (ſocrus tui Regis) mors fuit cõſecuta: in quo ipſo quoq; ſingularem erga te Dei prouidentiam, atque clementiam ſatis admirari non poſſumus.

Quatriduo poſt ſublatos Guiſios, Rex tuus Niortium, nobile Pictauienſis agri oppidum, commodiſſimo loco ſitum, vnico è ſuis deſiderato milite, capit: quo capto alia non pauca deditionem fecere. Cùm verò ſimili animi ardore & impetu ad maiora properaret, ſubitò in pleuritidem, acutum ſanè periculoſúmque morbum incidit, quem continuis & immodicis laboribus contraxerat.

cõtraxerat. Sed Deus, in quo ille ſperare, quémque aſſiduis, & ardẽtibus precibus inuocare non deſtitit, ceu verus animi corporíſq; medicus verè medicã & ſalutarem ei manum ſuam, deſperantibus iam ferè de eius vita medicis omnibus porrexit, illúmque præter omnium ſpem illo mortis periculo liberauit, priſtinæq; valetudini reſtituit.

Cùm autem Rex tuus defunctus, poſt cædem illam Guiſianã frementibus atque frendentibus paſſim in toto regno tuo cõiuratis, deficientibus ab illo aliquot prouinciis, & ciuitatibus regni primariis, in ſummis difficultatibus, anguſtiis, atque periculis verſaretur, ſtatim reuocatis illis copiis, quæ ad Regem hunc oppugnandum, & opprimendum miſſæ fuerant, ipſius opem, auxilium, præſidiúmque aduerſus hoſtium ſuorum vim, & impetum petiuit, quem ille adhuc ſiue libens, ſiue coactus (id enim ſoli Deo notum, cui humani cordis receſſus intimi perſpecti ſunt atque cogniti) acerrimè oppugnauerat, vel certè oppugnari permiſerat. O Deus immortalis, quàm inſcrutabilia ſunt tua iudicia, quàm imperuestigabiles ſunt tuæ viæ? Quid enim quæſo fuit admirabilius quàm Regem tuum defunctũ ad eius opem, auxiliúmque, tanquam ad fidum ſuæ poſt Deum ſalutis portum confugere, quem antea inſectatus fuerat? Hunc contrà nunc vltrò accerſit, & aduocat. Rex itaque hic tuus pro incredibili conſtantíque ſua erga Regem ſuum, regnúmque charitate, omnium oblitus offenſionum, & iniuriarum, non ſine magno pericu-

lo, cùm non paruæ essent maximorum periculorum suspiciones, cum copiis suis statim nulla mora interposita accurrit, regíque suo iacenti & afflicto ( ad quem paulo antè omnis ei interclusus fuerat aditus ) magna animi alacritate succurrit, & opitulatur. Hi itaque duo reges animi copiisque coniunctis, communibus suis hostibus fortiter aliquandiu fœliciterque resistunt, non sine magno hostium quidem damno, atque dedecore, suo autem totiúsque regni honore, atque commodo. Sed, proh dolor, non multò post, duo hi Reges, morte alterius, rursus à se inuicem fuerunt distracti. Nam monachus ille Iacobita quasi alter Sinon, Lutetia prodiens ( qui, vt audio, ab initio captus parum abfuit quin in flumen prçceps fuisset datus) fictis literis, ficto, fucatóq; vultus, sermone, gestibus, fidei, amoris, honoris, & amicitiæ specie, ac simulatione ( vt est fucatum & hypocriticũ istud hominum cucullatorum genus) Regem tuum in ipso conclaui suo, quo ab illo fuerat intromissus, letali vulnere afficit, quo paulò post ille fuit extinctus. Facinus horrendum, ingens, nouum, & ante illum diem inauditum. Nullum enim tuorum Regum populi coniuratione cæsum fuisse legimus. Quis hic quæso non item admiretur admiranda seu stupenda potiùs Dei iudicia, qui Regem tuum à monacho potissimum sauciari, atque interimi noluit, quod hominum genus ex fraudibus, atque fallaciis totum conflatum, ei carissimum semper antea, & familiarissimum fuerat: séque ab illiusmodi hominibus ad refor-

matæ

matæ religionis odium, & perſecutionem incitari paſſus fuerat.

Mortem porrò Regis tui ſubitam, & improuiſam, maxima conſecuta eſt animorum in aula, totóque exercitu perturbatio, ac conſternatio. Et tamen Deus(qui pro immenſa,ac infinita ſua bonitate, atque potentia ex malis quibuſuis poteſt elicere bona, & mala quæuis ad bonum finem,vſúmque conuertere)immani illa nefariáque cęde,illo vulnere,illa prioris tui Regis morte, nouo huic tuo Regi ad nouam hanc eius dignitatem,viam, aditúmque(qui illi omnino videbatur eſſe obſtructus & intercluſus)patefecit. Sic enim,vt Dionyſius Areopagita rectè dixit, diuina prudentia his quoque,qui mali ſunt,benè vtitur, ad aliquam videlicet vel ipſorum, vel aliorum ſiue priuatam, ſiue communem vtilitatem. Admirabili igitur Dei ope atq; virtute hic tuus Rex præter omnium hominum ſpem,& expectationem,imò contra multorum potentiſſimorum hoſtium ſuorum voluntatem,atque conatum in excelſo hoc & ſublimi dignitatis gradu collocatus eſt. Et,vt olim quo maiori ſtudio, atque contentione cùm Ioſephum fratres eius, tùm Dauidem Saul ſocer, & Abſolonius eius filius, permultíque alij, cùm aperti, tum occulti hoſtes, omni honoris, dignitatíſque aditu prohibere fuerunt conati,tantò magis vtrumque ad ſummum honorem, dignitatémque promouerunt:ſic quò magis plurimi inuidi,maleuoli,& inimici, hunc tuum Regem non ſolùm omni dignitate,ſed vita quoque ipſa ſpoliare ſunt cona-

ti, tantò magis illum ad amplissimam hanc dignitatem prouexerunt.

Venio igitur nunc ad Regis huius tui vocationem, hoc est, post superioris obitum in Regno tuo Gallico successionem: quam nō iustam solùm, & legitimam, sed etiam admiratione dignissimam esse omnes coguntur confiteri, ita vt nemini dubium esse possit, quin Deus ipse singulari quodam consilio illum potenti sua dextera, atque brachio ad summum & amplissimum hunc honorem, dignitatémque perduxerit. Ac legitimam quidem, iustámque esse hanc eius in Regno tuo successionem facillimè comprobari potest: de quo etiam luculenta quędam doctissimorum virorum extant scripta, atq; testimonia.

Nam primum quidem, cùm Regna, & imperia alia sint electiua, alia hæreditaria, alia successiua: constat Regnum tuum Galliarum neque electiuum, neque hæreditarium, aut verè patrimoniale, sed merè successiuum esse: ita vt Regi defuncto illo momento mortis subrogetur primogenitus, vel proximior agnatus: cui Regnum debetur ex sola lege, vel consuetudine Regni, à qua sola ius illud accipit, & non à patre, vel alio prædecessore. Ab hac autem Regni tui Francici seu Gallici successione, arcentur lege Salica, à Pharamundo vsque annos iam propè ducentos & mille religiosissimè semper culta (cuius hæc sunt verba: De terra Salica.i. Francica, in mulierem nulla portio hæreditatis transit, sed hoc virilis sexus acquirit) seu, vt alij volunt, perenni & perpetua ipsius Regni tui consuetudine, non filię tan-

liæ tantùm, ſed etiam ex filiabus deſcendentes maſculi à Regni ſucceſſione penitus remouentur & excluduntur in perpetuum. Regnum enim Franciæ eſt ita nobile & clarum (vt ait Coſmus Guimerius Regis quondam conſiliarius) quòd in eo nunquam ſuccedit fœmina. Et, vt Chapanæus prætor Parlamenti Burgundiæ teſtatur, In Regno Francorum non ſuccedunt fœminæ, ex ſpeciali conſuetudine ipſius Regni: & non extantibus maſculis, alij conſanguinei in Regno ſecundum prioritatem gradus, in linea maſculina, excluſis fœminis, ſuccedunt. Et ſi contingeret, quòd tota domus Franciæ moreretur, & ſtaret vnus de ſanguine antiquo, etiamſi eſſet in centeſimo gradu, talis iure ſanguinis & antiquæ conſuetudinis ſuccederet iure hæreditario, & non per electionem. Hinc ergo apparet agnatos Regis quantumuis remotos, excludere natos ex filia Regis. Huius autem quædam proferuntur iudicia, vt res iudicatæ, quæ legis vim obtinent. Sic enim primum Philippo IV. Pulchro, Regi Franciæ & Nauarræ vnà cum trib. filiis Regibus ſine maſculis liberis mortuo ſucceſſit in Regno Franciæ non eius filia Iſabella Regina Angliæ, neque Iſabellæ filius Eduardus III. ſed Philippus VI. nepos Philippi IV. ex fratre Carolo Valeſio. Deinde Ludouico X. Hutino (qui Philippi Pulchri filius primogenitus fuit) non ſucceſſit in Regno Francorum Ioanna filia Nauarræ Regina, aut Carolus Rex Nauarræ eius ex hac nepos, ſed frater Philippus V. Longus. Præterea Philippo V. Longo ſucceſſit frater Carolus IV.

Pulcher, non autem filiarum aliqua. Huic Carolo, IV. qui Rex Franciæ & Nauarræ fuit, mortuo, Ioanna filia Ludouici x. succeßit in Regno Nauarræ (ad quod etiam admittuntur fœminę.) Sed in Regno Franciæ ei neutiquam succeßit, sed Philippus VI. filius Caroli Valesij quarto gradu. Ad hæc Caroli VIII. successor fuit Rex Ludouicus XII. tanquam agnatus proximus non Anna, Caroli VIII. soror, Borbonij Ducis relicta. Huius ratio redditur quia si nati ex filia Regis ad Regni succeßionem admitterentur, nulla certa esset Regni familia, ius Regiæ familiæ tributum euanesceret, quia Regnum desultoriè ab vna familia in alteram transferretur: Et ob eandem causam priuilegium generi, posterisque alicuius conceßum negatur ad eos qui ex fœminis nati sunt, pertinere: alioqui priuilegium ipsum euanesceret. Hinc Chaßaneus quoque, Lib. I. de Repub. Galliæ. nullo tempore visum est ait, per fœminam Francorum imperium moderari. Et Io. Feraldus; gloriari, inquit, debent Franci, sicut ille Thales Milesius, qui maximas gratias se agere dicebat, quòd vir esset, non fœmina. His adde quoque Claudij Sessellij, qui Ludouici XII. cõsiliarius fuit, testimonium; cuius hæc sunt verba: Primò quidem, inquit, singulare est illud, quod ad solos masculos Galliæ defertur imperium. Salicam vocant eam legem, qua id cauetur, & optimo quidem consilio: Si enim fœminæ succedant, fieri posset vt in externi alicuius potestatem summa rerum perueniat: in quo permultum sit futurum incommodi. Nam

is, cùm

is, cùm & educatione, & moribus, & lingua, & ingenio differat, à natura ipsa diligere quodammodo cogitur, & in rebus omnibus præferre suæ nationis homines, iis honores, & præfecturas, & vbicumque est aliquid emolumenti communicat: qua quidem ex re necesse est graues oriri offensiones, ac inuidiam, cùm multitudinis, tum nobilitatis. Quum verò soli masculi locum habent, certus ac perpetuus est hæres: quoniam qui genere proximus est, is indubitatè succedit, cũq; populus reueretur, ac colit, vt magistratũ suum legitimum, etiamsi remotiori gradu distet ab eo, qui decessit: Quod nuper vidimus, inquit, mortuo Carolo VIII. atque etiam Ludouico XII. Et quanquam aliquando vehementissimæ dissensiones, grauissimáque bella videntur ob eam rem extitisse: tamen ius tandem obtinuit, eóque res deducta, & legibus ad eum modum est confirmata, nihil vt posthac turbæ sit idcirco metuendum, nulla etiam vt dubitatio residere deinceps possit.

Hæc quum ita se habeãt, ne tibi, quæso, Gallia, diutius fucum fieri patiaris ab iis, qui contra certissimum hunc morem, & antiquissimam consuetudinem Regni tui ius & possessionem, etiam ad eos, qui ex fœminis descendunt pertinere existimant: quod quidem quid est aliud, quàm omnia iura, leges, consuetudines, & res iudicatas Regni euertere? Cogitabis etiam hîc, id quod sanè cogitatione & animaduersione est dignissimum, quod si fœminis quoque, aut masculis qui ex iis descendunt, ad Regni successio-

nem aditus pateret, tamen ideò Regi quoq; tuo id optimo iure deberetur, cùm is, vt suprà demonstratum est, non modò paternum, sed etiam maternum genus quodãmodo à Ludouico Sancto & cęteris tuis antiquis Regibus ducat: ita vt Regni tui Franciæ, atque Gallię, secundum vtrumque genus vel maximè sit capax. Exclusis igitur penitus ab huius Regni successione fœminis, & iis qui ex illis descendunt, iuncta legem Regiam, & perpetuam Regni consuetudinem, Rege mortuo, ad filium eius primogenitum: vel hoc pręmortuo, ad nepotem eius Regni successio peruenit. Sin verò sine filio aut nepote decesserit, & in eius stirpe masculus esse desierit: tunc ad proximam Regię gentis stirpem eodem primogeniturę ordine seruato Regni successio transfertur. Lex enim Francię non liberos, sed primogeniti primogenitum: & deficiente prima stirpe secundę stirpis primogenitum, & eius primogeniti primogenitũ vocat disertissimè. Proximus autem lege Regia definitur non gradus, aut ætatis, sed lineæ, & ordinis successionis prærogatiua. Nam cùm proximus in iure dicatur quem nemo antecedit, proximus in successione non vtiq; is est censendus, qui defuncto est proximus, sed quem nemo antecedit in defuncti successione. Accidit enim interdum vt aliquis lineæ, siue stirpis, & ordinis successionis respectu sit proximior, qui tamen gradu est remotior, & contrà quis agnationis gradu sit proximior, qui lineæ gradu sit remotior, vnde nepos ex primogenito præferendus filio secundo genito, siue patruo.

patruo. Agnati igitur Regum nequaquam agnationis suæ iure ſuccedunt, ſed iure ſtirpis, & prognationis : neque tanquam agnati ad ſucceſſionem vocantur, ſed tanquam prognati: neque denique cauſſam, & titulum, & ius ſucceſſionis ab Rege nouiſſimè defuncto accipiunt, ſed à communi gentis auctore, & principe, quem Græci Genarchum, Latini genitorem vocant: iure tantùm ſtirpis, & progeniei deferuntur: hoc eſt, ei maſculo, qui ex communi gentis auctore, & primo inueſtito prognatus, nunc ſublatis omnibus intermediis, proximum ab eo gradum obtinet. Atque hęc quidem eſt perennis & perpetua Regni tui conſuetudo, quæ Lex Regia appellatur. Nam Lex Regia ſeu Francica, vt à Iureconſultis definitur, cõſuetudo ab omni æuo tacito omniũ Francorum tuorum conſenſu recepta, & longiſſima annorum ſerie ſtabilita: ſiue ius ſucceſſionis in Regno Francico. Conſuetudo enim diuturna præſertim contradictionis iure confirmata, ſcriptæ legis auctoritatem obtinet. Hæc lex non tam eſt ſcripta, quàm in omnium eorum, qui veri & genuini ſunt Franci, pectoribus impreſſa, & inſculpta: id quod teſtantur Francica Parlamenta (quę iuris Francici ſunt quaſi oracula) omnes Iureconſulti iuris interpretes, omnes denique Franci tui, qui vel minimam iuris ſui cognitionem habent. Itaque lex hęc Regia, & patria nihil eſt aliud quàm totius Gallię, & omnium eorum, qui non nomine tantùm, & natione, ſed etiam animo ſunt Franci & Galli, hoc eſt, qui patrias leges, ac proinde te patriam ipſam, ſaluam vo-

lunt, & incolumem, perpetua consensio.

Lex hæc cùm est antiquissima, tum æquitati, & iustitiæ, iuri diuino, & humano congrua planè, & consentanea: vnde verè sacrosancta, inuiolabilis, nunquam satis veneranda à Iureconsultis appellatur. Meritò etiam & Regia, patria, & Francica, & fundamentalis vulgò appellatur: propterea quod in eius salute, & Regis, & totius Regni salus consistit. Hæc est quasi vnicum Regni tui afflicti, ac tantùm non funditus euersi quasi fundamentum, columen, & propugnaculum, qua sublata & abrogata, Regnum ipsum tuum tolli, atque conuelli sit necesse. Hanc igitur, ô Franci, qui Francos geritis animos, sartam tectam tuemini. Huius legis tanta est vis, vt etiam Regibus adimat omnem de Regni successione testamenti factionem, hoc est vt legib. tuis minimè liceat per istam ipsam legem tuam fundamentalem, successorem & Regni hæredem nominare alium: quàm quem Deus talem nasci voluit. Quamobrem etiamsi Henricus III. eius prædecessor, alium præter hunc Regem Regni hæredem, & successorem testamento suo fecisset & declarasset: irritum planè, & cassum fuisset hoc eius testamentum.

Huius legis virtute nunquam deficit Rex in Regno Frãcico, sed Rex semper viuit: propterea quòd defunctus ipso iure successionis proximo agnato Regnum relinquit, quamuis ad Regni administrationem ineptus foret, & parum haberet Iudicij. Iuxta hanc itaque legem tuam patriam, Regiam, Frãcicam, Gallicam, fundamentalem,

talem, immutabilem, ſacroſanctam, & inuiolabilem (vt paſſim à Iureconſultis Regni tui celeberrimis appellatur.) Rex hic tuus in Regno Gallico rectè legitiméque ſucceſſit: ipſo mortis articulo & momento mortuo Regi tuo ſuperiori Henrico III. cum quo deficiente ſimul familia eius ſiue ſtirpe Valeſia, ad Regni tui ſucceſſionem ocyus vocata eſt familia Borbonia, quæ ex eodem fonte prodiit. In iſta autem familia nemine repugnante prærogatiuam primi Principis apud omnes Francos habuit Antonius Rex Nauarræ: vnde etiam illi anno M. D. LX. Regis Caroli IX. & fratrum eius Auguſtiſſimorum, atque adeò totius Regni cura, & adminiſtratio (quam Regentiam vocatis) vt proximo agnato, ac ſanguinis Regij primo principi, in celeberrimo Regni ordinum conuentu delata eſt, totius Regni conſenſu, auctoritate, & decreto. Huius itaque filius primogenitus cùm ſit hic tuus Rex, qui quidẽ iure Repræſentationis (quod naturalem æquitatem Vlpianus Iureconſultus appellat, quódque in omnibus feudis ſeruatur) in patris ſui primogeniti locum ſucceſſit, cui eſt dubium, quin Regiæ patriæque illius tuæ legis vi, & virtute ſucceſſionis ius in hoc Regno, nunc ad illum ſolum pertineat?

Sed nolo pluribus de lege hac Regia, déque hoc ſucceſſionis Regiæ iure verba facere, ne actum agere, aut Lucernam in meridie accendere velle videar, cùm hæc à viris doctiſſimis, & iuris, legum, conſuetudinum, & hiſtoriarum Francicarum ſiue Gallicarum peritiſſimis plenè pla-

néque diſputata ſint, & explicata: imò nulla demonſtratione apud te potiſſimum, indigeant:& nemini Francorum ignota eſſe poſſint. Cuius iuris veſtigia, ex Caroli IV. Imp. prouidentia (qui apud te educatus, tuis moribus & legibus inſtitutus fuit.) Germaniæ ſorori noſtræ, vnica ſuperſunt in Aurea, quam vocant, illius Bulla: vbi feriò cauetur, vt eodem iſto tuo iure in Electoratus Imperij quatuor perpetuò ſuccedatur: hoc eſt Bohemiæ Regno: Comitatu Palatino, ad Rhenũ: Ducatu Saxoniæ: & Marchionatu Brãdẽburgico. Ecquis igitur quæſo erit, vel adeò omnis iuris, conſuetudinis, legúmque tuarum rudis & imperitus, qui hunc ignoret iuſtum, legitimúmque tuum eſſe Regem: vel tam iniquus, tam iniuſtus, & impius, qui cùm id norit, tamen ei iuſta debitáque obſequia, & officia præſtare grauetur? Nam fieri profectò non poteſt quin vel is, qui hoc ignorat, brutę inſcitię ac ignorantiæ, vel is, qui ſcit, & tamen rebellem ſe, ac contumacem aduerſus illum præbet, non tam humanæ, quàm diabolicæ cuiuſdam malitiæ, & audaciæ (cùm humanum ſit peccare, diabolicum in peccato perſeuerare) meritò ſit accuſandus. Peccat enim grauiſſimè non in Regem tantùm, ſed in legem etiam illam Regni tui fundamentalem, antiquiſſimam, auguſtiſſimam, æquiſſimam, & iuſtiſſimam: ac proinde in ipſum tuum Regnum atque patriam, cuius quaſi fundamenta quantum in ipſo eſt conuellere conatur.

Et hæc de iuſta legitimáque Regis tui ad hoc regnum vocatione, ſeu in Regno hoc Gallico ſuc-

co ſucceſſione ſint dicta: quæ vt Regi tuo maximo eſt in omnibus moleſtiis ſolatio, ita vel ſola æquiſſima tibi iuſtiſſimáq; cauſa videri debet, cur hunc Regem, ceu naturalem, proprium, iuſtum, legitimúmque tuum dominum, atque Regem agnoſcere, colere, & venerari debeas. Id autẽ faciẽt omnes illi, ſat ſcio, in quibus vel gutta ſanæ mentis, gutta amoris, & charitatis, gutta denique Francici, & Gallici ſanguinis reſidet. Contra verò, qui ei regni huius poſſeſſionem ſimul cum vita extorquere conantur: illi non Regem tãtùm, ſed Regnum tuum ipſum, patriámque totam lædunt, ac violant: & idcirco grauiſſimo atrociſſimóque ſeſe parricidij ſcelere manifeſtè contaminant. Huius præterea ipſius legis regiæ, patriæq; beneficio, Regem habes non alienum: peregrinum, externum, ſed Regem proprium, natiuum, domeſticum, inteſtinum, indigenam, ex tuis viſceribus excitatum: quem os de oſſibus tuis, vt ita loquar, appellare potes. Aliæ gentes Reges ſæpe externos & peregrinos adſciſcunt, & eligunt, non ſine magno dedecore, ac ſine plurimis damnis atque incommodis: vt experientia ipſa teſtatur. Qua de cauſa nõ facilè ac temerè externi & peregrini ad regnorum & rerũpub. gubernacula vocari, eligi, & admitti debent, niſi grauiſſimæ id cauſæ poſtulent. Quid quòd Deus ipſe, populo illi ſuo, quaſi peculio ſiue gregi electo & eximio præcipit, ne peregrinum aliquem Regem eligant: ſed ex fratrum ſuorum numero, hoc eſt, natione Iſraelitam? Sic enim Deut. XVII. ſcriptum eſt: Conſtituendo

constitues Regem quē elegerit Dominus Deus. Ex fratribus tuis constitues super te Regem: nō poteris super te constituere Regem, qui non est frater tuus. Aug. in illa verba: Verumtamen, inquit, præcepit, ne fieret alienus, sed esset ex eodem populo, indigena, non alienigena. Fuit hoc ad hunc vsque diem per tot sæcula præ cæteris propè omnibus orbis terrarum regnis, & imperiis, quasi prærogatiua tua peculiaris, ac beneficium singulare tibi à Deo, supremo omnium regnorum & imperiorum auctore, & moderatore tributum, & concessum, quòd nullo peregrino & extero, sed domesticis tantùm, & natiuis Regibus semper vsa es: quam ob causam tantò diuturnior, firmior & fœlicior Regni ac reipub. tuæ fuit status, ac conditio. Hoc autem ipsum factum est patriæ illius, atque Regiæ tuæ legis beneficio, qua non nisi Regij & Francici sanguinis viris, non autem fœminis, aut ex fœminis descendentibus, ad Regni tui successionem aditus patet: quam idcirco tā studiose sartam tectā tueri, & conseruare debes, quàm Regni tui perturbationem, confusionem, seu euersionem potiùs, euitare, & saluti eius incolumitatíque benè vis esse consultum.

Sed ad hæc alia quoque accedunt in hac eius successione animaduersione dignissima, quæ si diligenter, accuratéque, vt par est, perpenderis: magis adhuc cogeris confiteri, cùm iustam, æquam, legitimam, tum diuinam planè & admirandam hanc eius successionem esse, Dei hominúmque consensu, approbatione, auctoritatéq; confirmatam

confirmatam, & ſtabilitam. Nam primò quidẽ Rex prior ſtatim accepto illo vulnere, cùm ſpes adhuc ei vitæ diuturnioris eſſet non exigua, Regem hunc tuum ad ſe accerſiuit, illíque mandauit, vt ſuas vices obiẽs, principum & optimatum cœtum cogeret, ei præeſſet, & cuncta regni negocia tractaret & adminiſtraret, donec ipſe cõualeſceret. Deinde verò poſtquam vitæ ſuæ finem adeſſe animaduertit, edita peccatorum ſuorum confeſſione, eorúmque veniam ſupplicibus votis à Deo deprecatus, conuocatis proceribus, & principibus, coram illis hunc tuum Regem tãquam proximum ſuum agnatum, primum Regij ſanguinis principem, ſibi & ſanguinis communione, & affinitate, & nomine quoque, atque ætate coniunctiſſimum, iuxta ipſam tuam regiam legem atque patriam, iuſtum legitimúmque ſuum ſucceſſorem, regni hęredem, Regem denique tuum coram regni ordinibus atque proceribus declarauit, illúmque eis vnicè commendauit, & hanc quidem tũc poſtremam, & quaſi cygneam vocem edidit: cùm dubium nemini ſit, quin eorum qui morti ſunt vicini voces, dicta, monita atque teſtimonia plurimi fieri debeant. Etſi verò, vt ſuprà demonſtratum eſt, Regnum quod agnato proximo defertur, non eſt Regis morientis patrimonium, neque ex ipſius volũtate & iudicio ſucceſſori defertur, ſed ipſius legis patriæ inſtitutis, & moribus, tamen Regis illius tui prioris legitimi, in agone mortis conſtituti, de legitima huius tui Regis ſucceſſione, verum, luculentúmque teſtimonium negari

profectò non poteſt, quin maximi momenti, ponderis, ac oraculi cuiuſdam inſtar, ſit exiſtimandum. Sed illud prætereà maximam apud me admirationem habet, quòd Rex ille ſuperior qui paulò antè, ſiue coactus & inuitus, ſiue à coniuratis illis incitatus, ( vt plerique exiſtimarunt,) maximas & inſtructiſſimas copias ad eum opprimendum, & exterminandum miſerat, mox eum iuſtum legitimúmque Regni hæredem ac ſucceſſorem, Galliæque tuæ Regem declarat, omnes ad ei parendum adhortatur, ei quaſi coronam imponit, & Regnum hoc tanquam lampada tradit. An non hæc ipſam Dei manum & dexteram omnipotentem effeciſſe, & Regis illius animum ad id flexiſſe firmiter eſt credendum?

Iam verò poſt Regis obitum, nonne in communi & maximo illo luctu, ac mœrore, is qui anteà Rex Nauarræ ſolùm fuerat, ſtatim omnium Principum, Ducum, Parium, Mareſchallorum, Comitum, Baronum, Nobilium, & Militum, quotquot aderant, vnanimi conſenſu, fauſtiſſimáque acclamatione Rex Galliarum appellatus, & ſalutatus fuit? Prætereà vt olim belli tempore non ſolùm apud Romanos, ſed etiam in hoc ipſo tuo Regno, vel in ipſis caſtris, nouos ſtatim Reges, & Imperatores ab exercitu, & ducibus ſalutatos ſeu appellatos, & (qui mos apud maiores tuos, Reges inaugurandi vſitatiſſimus fuit )ſcutis impoſitos, eleuatos, & circum geſtatos fuiſſe legimus: ( vnde tritæ illæ dicendi formæ, aliquem in Regem eleuari, ſublimari ) ita

belli

belli huius tempore periculosissimo, & calamitosissimo, in ipsis castris, inter media arma Rex hic tuus totius exercitus voce, suffragiis, atque applausu, ad amplissimum hunc honorem euectus fuit, ita vt nihil hîc factum sit contra maiorum tuorum exempla, & instituta. Quid dicam (quod satis mirari non possumus) quòd plurimi eorum, qui infestis animis armísque illum ante paucos menses oppugnauerant, eundem nunc Regem ac dominum suum, iustũ, & legitimum, imò ceu patrem, ac patronum optimum vocibus suis profitentur, proclamant, atque declarant, ei dant nomen, séque sacramento militari obstringi patiuntur? Quemadmodum igitur magnes vi quadam insita attrahit ferrum: ita Spiritus Dei, qui verè est flexanimus, quorumuis hominum corda, dura licet, emollire & ad Regi suo obsequendum flectere atque mouere potest. Ciuitates quoque & prouinciæ illæ, quæ in prædecessoris fide & obsequio constanter permanserant, huic quoque statim ceu legitimo suo Regi vltrò ac libenter sese submittunt & subiiciunt, ei fidem, officia & obsequia sua deferunt atq; pollicentur. Aliæ quoque ciuitates, quæ præcedenti Regi aduersatę fuerant, huic obsequuntur, ei sese dedunt, imperium eius suscipiunt, & amplectuntur. Quid quòd ipsum quoque tempus, atque locus quodammodo huic eius successioni in Regno suffragantur, eámque comprobant? Nam primo quidem quo ad tempus: ipse mense Augusto in Regno hoc tuo Gallico præcedenti Regi defuncto successit, qui quidem ipse

mensis Augustus sanè augustissimus huius tui Regis, siue Augusti & Imperatoris (quibus nominibus, & titulis Reges tuos fuisse insignitos annales tui testantur) bonum, augustum & auspicatum quodammodo videtur esse augurium: & maioris forsan adhuc & amplioris dignitatis præsagium. Deinde locus quoque ipse huic eius dignitati suffragatus est. Is est oppidum Sancti Clodouæi, quod non procul à Lutetia Parisiorum totius Regni metropoli, & ab oppido S. Dionysij (quod clarum est monumentis Regiis) distat: in quo superior quidem Rex Monachi illius cultro venenato cõfossus, hic verò, Rex tuus primùm declaratus & salutatus fuit. Sic autem oppidum illud à Clodouæo Rege conditore fuit appellatum, cui Anastasius Imperator tunicam purpuream, siue, vt tum loquebantur, blateam, & coronam auream multis vnionibus distinctam misit: Is autem Caunacarium Cameracensem, & Atrebatium regulum, quòd se verum Regni hæredem diceret, & eius simul fratres, & totam familiam è medio sustulit: & omnes ferè Gallias, sub ditione sua tenuit. Videtur ergo hic ipse locus Clodouæi illius primi Galliarum Regis Christiani nomine insignis, boni esse huic tuo Regi ominis, & auspicij iudicium. Multis igitur nominibus, siue legem Regiam, & consuetudinem patriam, siue personas, siue locum, siue tempus, siue alias circumstantias spectes, cùm iusta, legitima, vere Regia, tum admirabilis ac planè diuina huius tui Regis in hoc Regno successio censeri, & iudicari debet. Illa enim sunt
potius

potius ſpectanda quàm externi quidam ritus & cæremoniæ ante aliquot ſæcula vſurpari ſolitæ.

Quid dicam quod ſilentio prætermitti hîc minimè debet, quòd paulò poſtquam ad Regiam hanc dignitatem fuit euectus, Deus illum rurſus ex præſentiſſimo mortis periculo eripuit, quam illi audaciſſimus quidam nebulo, diabolico furore incitatus, & impulſus, ſclopeto intentauerat: quod ipſum non leui eſt argumento, Deum hunc tuum Regẽ diutius viuere, patrięq; tuæ præeſſe ſimul ac prodeſſe vellè. Poſtremò Deus Opt. Max. hanc verã, iuſtam, legitimamq; Regis tui in Regno Francico ſucceſſionem, fœliciſſimo rerum eius omnium, contra hoſtium ſuorum conatus, ſucceſſum, multis pręliis ſecundis, victoriis admirandis, plurimarum vrbium, oppidorúmque expugnationibus, ac deditionibus, denique quotidiana plurimorum, qui alieni ab ęo fuerant, reconciliatione, multifariã comprobauit & comprobat adhuc quotidie. Præterea illud quoque velim conſideres, quod hic tuus Rex nõ ſolùm ex regali tam materna, quàm paterna proſapia ortum ſuum ducit: ſed etiam quod iam anteà regali functus eſt munere, regalis eius fuit ſtatus, atque conditio. Et vt olim duo hęc Regna Francicum & Nauarrenum fuerunt coniuncta, imperantibus nimirum Philippo I V. Pulchro eiúſque filiis, Ludouico X. Hutino, Philippo V. longo, & Carolo I V. Pulchro (qui omnes Franciæ ſimul & Galliæ Reges fuęrunt) ita Deus admirabili ſuo conſilio eadem nunc denuò coniungi voluit: vnde maxima in-

colarum vtriusque Regni cōiunctio, atque concordia & vtilitas etiam est speranda.

Præterea ætas quoque tui Regis ad imperandum apta valde, atque idonea magnam tibi optimi rerum status spem facere, illúmque gratum valde & acceptum reddere debet. Nosti oraculum illud diuinum: Væ terræ, cuius Rex puer est: Et hoc quidem tute ipsa si vlla vnquam prouincia cum maximo certè tuo damno, & quasi naufragio per multos iam annos optimè es experta: quando post Henrici II. Regis tui obitum, filij eius adhuc ferè pueri in Regno hoc ei ex ordine successerunt: quorum pueritia callidi & astuti quidam homines, & ij quidem extranei, ad totius Regni damnum, pestem, atq; perniciem abusi fuerūt, eiúsque perturbandi ac tantùm non euertendi inde ansam arripuerunt. Est igitur quòd hic quoq; agnoscas singularem Dei prouidentiam, clementiam, atque curam paternam, qui regem tibi dedit difficillimis periculosissimisque istis temporibus eius ætatis, quæ est media, constans, matura, florens, planéque regia, hoc est ad bene regnandum opportuna valde, atque commoda. Vitæ prætereà anteactę cursum adhuc eum tenuit, vt maximam meritò laudem, atque gloriam sit consecutus. Porrò regis tui cani, qui præter ætatem in illo conspiciuntur, primò quidem indices sunt atque testes innumerabilium eius curarum, molestiarum, solicitudinum, laborum, atque periculorum, quæ ille pro salute tua adhuc fortissimè, fœlicissiméque exantlauit, atque perpessus est,

iuxta

iuxta tritum & peruulgatum illum versiculum, Cura facit canos, quamuis homo non habet annos. Quam ob causam hi ipsi cani tibi meritò cari: téque ad iustam debitámque gratitudinem, atque caritatem illius meritò impellere debent. Deinde hi iidem cani quasi flosculi quidam iucundi & amæni, signa sunt venerabilis, canæ, atque maturæ illius sapientiæ; & idcircò te ad eundem venerandum, atque colendum exstimulare debent.

Iam, quid dicam de corporis illius regia sanè egregiáque forma atque statura? Annon frons lata, supercilia decora, & elata, oculi cæsij, nasus aquilinus, qualis olim Cyri, vultus illius totus est regius, regiámque præ se fert dignitatem, & M. Cataldi Finnatis antiquam prædictionem? Etsi verò vt in omni homine, ita in Rege potissimũ quoque atque principe, nõ tam corporis, quàm animi forma atque pulchritudo (quæ nihil est aliud quàm virtus) spectari debet: tamen gratior est pulchro veniens è corpore virtus, vt poëta ille cecinit. Et vt Lucianus ait, ea demum perfecta est pulchritudo, quando concurrit in idem animi virtus, & corporis forma pulchra & elegans. Nam corporis pulchritudo sine virtute, nihil prodest, sed potius obest: vt Saulis, Absolonis, Priami (cuius species digna fuisse dicitur imperio) Alcibiadis & aliorũ exempla docent: qui eleganti corporis specie barbaricam tegentes crudelitatem maxima damna regnis importarunt. Vnde Socrates pulchros, virtute vacuos, dicebat habere pulchram nauem, sed guberna-

torem malum : vnde nil expectandum nisi naufragium. Persæ tamen, qui cœleste aliquid & diuinum Regibus inesse statuebant, iisque diuinos tribuebant honores: ideò enixè dabant operam, ne quid in eorum forma & specie deforme, & indecorum appareret. Si quid igitur in Regum filiis erat prauum, atque distortum, dabatur ea cura certis mulieribus, quæ dum corpora erant tenera, & emendari poterant, ea quodammodo fingerent, & ad rectitudinem sensim, & lentè reuocarent. Indignum enim censebant Regis nomen, apud illos sanctissimum, aliqua corporis insigni prauitate deformari. Sic Æthiopas olim, qui supra Ægyptum habitabant, legimus eum Regem eligere fuisse solitos, qui omnibus corporis proceritate anteiret: cùm ius statuerēt illum dignitate omnes vincere, quem natura specie & magnitudine præcellentem finxisset. Plura ex prophanis literarum monumentis exempla proferri possent. Quid quòd in sacris quoque literis Dauid cùm manu fortis, tum vultu pulchro, amœno, & amabili fuisse dicitur: vnde etiam nonnulli sic volunt fuisse dictum. An non idem de Rege tuo verissimè dici potest, qui cùm manu est fortis, & robustus, tum vultu aspectuq; eleganti, pulchro, iucundo, & amabili: qui quosuis ad se amandum allicit, & inuitat, ita vt Pulchri cognomen illi meritò tribui possit, ob eximiam animi, corporisque pulchritudinem. Hoc idem olim cognomentum habuit Carolus IV. & pater illius Philippus IIII. Philippi III. Audacis filius, Ludo. S. nepos, & successor: qui à Bo-
nifacio

nifacio Papa fuit excômunicatus anno M. C C. L X X X V I. quique Palatij Parisini cõditor fuit, quo imperante collegium Nauarrenum à Ioanna Regina Nauarræ eius vxore, institutum, & fundatum fuit: Et Carolus IIII. eius filius, qui floruit anno CIↃ. CCC. XXI. qui ambo Franciæ simul & Nauarrę Reges fuerunt: quibus nunc addi potest tertius, hic tuus Rex Pulcher, animo & corpore pulcherrimus Franciæ & Nauarræ Rex.

Præterea ad tam arduum, difficile, & laboriosum munus alacriter obeundum, corporis quoq; non sanitas solùm, ac valetudo, verùm etiam robur, atque vires requiruntur. Nam si Rex fuerit imbecillis, & infirma valetudine præditus, nullo modo tantum Regni onus atque pondus sustinere poterit. Mixtam alacritatem ad res acriter & animosè gerendas corporis cùm sanitas, tum infirmitas atque robur affert. Etenim vt corpus infirmum animi vires frangit atque debilitat: Ita robustum validúmque corpus animum acriorem animosiorémq; reddit, multóq; magis in omni labore, & periculo confidentem.

Habes ergo, ô Gallia, singulari Dei beneficio Regem non animo solùm, sed etiam ore, vultu, corpore pulchro, formoso, sano, validóque prędítum. Quæ quidem ipsa corporis & pulchritudo, & sanitas, & robur, cùm animi illius insignem pulchritudinem, sanitatem, atque robur indicant, tum maximo illi ad tot tantáque munera, atque negotia bellica præsertim gnauiter, strenuéque obeundum, sunt adiumento. Hanc

autem naturalem corporis ſui conſtitutionem ſanam,elegantem, ac robuſtam cùm ſobrietate, ac cibi potúſq; temperantia ſingulari, tum honeſtiſſimis & vtiliſſimis quibuſdam exercitiis non conſeruauit ſolùm, ſed etiam auxit atque firmauit.Duo autem ſunt corporis exercitia verè regia, quibus tuus hic Rex ab ineunte ætate deditus fuit,nempe pilæ ludus atque venatio.Ac pilæ quidem ludum,qui corpus reddit agile,alacre,robuſtum,ſudoris,atque laboris patiēs, Regium eſſe ludum clariſſimorum celeberrimorúmq; Regum ac principum, vt Dionyſij Syracuſani, Alexandri M,Iulij Cæſaris,& Mecœnatis (qui antiquo regum Hetruſcorum genere oriundus, omnes virtutes regias habuiſſe ſcribitur) exempla docent: quos literis memoriǽque proditum eſt illo crebro vſos,ac magnoperè delectatos fuiſſe legimus.Quòd ad venationem attinet illa quoque exercitatio eſt Regia, & imperatoria,quæ cum bello,& militari arte,atque diſciplina maximam cognationem, & affinitatem habet : quemadmodum Xenophon nobilis ille ſcriptor in Cyri Regis pædia pluribus explicat. Sunt enim vt pauca quædam ex illis attingam,in venationibus nemorum luſtra peragranda, ſyluarum exitus difficiles explorandi. Item qui venandi ſtudio de multa nocte vigilant, feris inſidias moliuntur, ſaltus omnes obſident,exploratores in ſpeculis diſponunt , alas ſcienter inſtruunt, equitando,currendo , proſiliendo feras inſequuntur,eas telo confodiunt,communi ſtrepitu progreſſui atque receptui canunt, dant ſigna prædæ

gna prædę, atque victorię: (vnde venatio bello ac pugnę est simillima) niues, frigus, æstus, sitis, inędia, lassitudo, multáque alia incommoda eius modi perferenda: (quę quidem venandi studium paulatim facilia reddit,) multáque alia facere solent, quę à bellicis laboribus & disciplinis non sunt aliena. Huiusmodi corporis exercitationibus cùm Rex tuus fuerit à pueritia deditus, mirũ profectò non est illum tam eximia corporis non sanitate solùm, sed firmitate etiam atque robore frui, ad quosuis dolores, labores, atque molestias sustinendas, ac superandas idoneo. Hinc illa frigoris, caloris, inedię, vigiliarum, armorum, atq; laborum militarium incredibilis patiẽtia: quam omnes nõ satis mirari possunt. Graues adhuc meo quidem iudicio maximíque momenti atq; ponderis, ô Gallia, gratulationis meę de nouo hoc tuo Rege causas intellexisti: quę eædem tibi quoque ad illum summa charitate, obseruantia, & obedientia complectendum grauissimæ iustissimęque causę, atque rationes & videri & esse debent. Regis enim huius tui (vt breuiter ac summatim ea quę adhuc dicta fuerunt repetam, atq; complectar,) Regij & egregij sunt natales, Regium natale solum, regius Baptismus, regia nomina, regij parentes, atque maiores, regium genus tam maternum, quàm paternum, regia educatio, regia patrij, atque hæreditarij regni susceptio, & gubernatio: regia & egregia in hoc bello ciuili, & intestino facta, dicta, victoriæ, trophæa: regia iusta legitimáque eius est post superioris regis mortem successio: regia est illius

ætas:regia corporis totius forma,ac conſtitutio. An non hæc quæſo,( quorum omnium teipſam teſtem appello,) firma ſunt ſolidáque argumenta hunc tibi Regem diuinitus cœlitúſque eſſe datum ? (vnde meritò Adeodatus cognominari meretur,quod Philippi II. Auguſti.filij Ludouici VII. cognomentum fuiſſe accepimus ) ac proinde illum tanquam verum , iuſtum , legitimúmque Regni Francici hæredem, ac ſucceſſorem regem,regia hac dignitate digniſſimum,fide, amore, beneuolentia, & obſeruantia ſumma tibi colendum eſſe ? Venio nunc ad regias & egregias illius virtutes,propter quas vel ſolas Regno hoc,regiáque maieſtate, & amplitudine digniſſimus eſt iudicandus. Itaque etſi hic non eſſet Rex tuus proprius & naturalis,iure,lege,conſuetudinéq; Regni perpetua tibi natus , tibi deſtinatus,& addictus:eſſétque regnum tuum non ſucceſſiuum, ſed electiuū tibíq; alterius alicuius Regis,ſine legis tuæ patriæ atque regię violatione vel in regno tuo , vel in toto orbe Chriſtiano eligendi facultas daretur,& optio: neminem vel tua ipſa atteſtante conſcientia præſtantiorem,pluribus,& maioribus ornatum virtutibus, tibi tuíſque rebus commodiorem , & vtiliorem eligere poſſes.

Etſi igitur præclara , eximia , planéque regia ſunt illa fortunæ , corporiſque ( vt vulgò appellantur , ) bona, quibus illum Deus cumulauit, & de quibus adhuc dictum eſt : tamen illis longè antecellunt animi bona , hoc eſt , virtutes. Virtus enim , vt veriſſimè , ſcitiſſiméque Cicero illud elo-

lud eloquentiæ lumen dixit, vna altiſſimis eſt defixa radicibus, quæ nunquam vlla vi labefa-ctari poteſt, nunquam loco dimoueri: alia omnia incerta ſunt, caduca, fragilia, mobilia, falſa, & fallacia. Hæc autem ipſa animi bona id eſt virtutes, cùm in omnibus hominibus, tam in regibus pręcipuè requiruntur, ad munus illud ſuum tam auguſtum, tam magnificum, tam amplum, tam graue, tam arduum, tam difficile, ac laborioſum, cum dignitate, fructúque ſuſtinendum ac obeundum. Nam quemadmodum ad onera corporea, magna præſertim, atque ponderoſa, vel tollenda vel ferenda & ſuſtinenda, magnæ requiruntur manus, brachiorum, lacertorum, ac totius omnino corporis vires: ſic ad Regij huius muneris ſeu oneris potiùs omnium ponderoſiſſimi, grauiſſimíque, vim, molémque ita vt decet ſuſtentandam, neceſſariæ omnino ſunt non tam corporis, quàm animi vires, hoc eſt, virtutes maximæ, ac præſtantiſſimæ: de quibus multa à doctiſſimis ſapientiſſimíſque viris ſubtiliter copioſéque tradita, ſcripta', ac diſputata ſunt: quæ ſi quis animo cogitationéque ſua perluſtrabit, facilè illas ferè omnes Regi huic tuo ineſſe perſpiciet.

Si autem vis omiſſis multis diſputationibus omnium regiarum virtutum quaſi ideam & epitomen quandam, atque compendium, ſiue ſynopſin habere: proponas tibi ante mentis tuæ oculos ipſum auguſtum Regis nomen, cuius ſi vim poteſtatémque accuratè perpenderis, ac penitius introſpexeris, facilè animaduertes illo

vno tanquã fasciculo quodam omnes regias virtutes atque munera comprehẽdi. Ac ipsum quidem Regis nomen Latinum, si illud diligenter, accuratéque consideraueris: omnes regias virtutes atque munia complectitur, animóque tuo, vno quasi intuitu contemplanda proponit. Regem enim Latinis constat dictum esse à regendo (iuxta versiculum illum peruulgatum: Si benè regna regis, dignus fis nomine Regis) vnde Rex non incommodè meo iudicio definiri potuit, bonus & sapiens populorum rector, ac moderator: siue alios regendi gnarus & peritus: quam definitionem descriptionémue huic tuo Regi conuenire non est dubium. Regere autem, vnde Regis nomen deductum est, idem est quod aliquid in rectum finem dirigere. Rex itaque hoc quidem tam augusto nomine dignus, hoc est populorum rector, vel id agit atque molitur, vel certè id agere atque moliri debet, vt populum in eum finem, in quem intueri debet, modo & ordine atque disciplina perducat: Is autem est, florens & beatus, reipub. status. Atque hoc ipso quidẽ nihil Regi tuo prius esse nec antiquius, dicta factáq; eius omnino omnia, quotidie testantur. Regere, vndè Rex latinis dictus, etiam idem est, quòd ea quæ praua, obliqua, distorta sunt, recta efficere, ad rectitudinem reuocare: vndè vernacula nostra lingua, iudex (Kuster) eleganter à regendo dicitur, quasi dicas rector seu director: eò quod iudicis partes sunt, quasuis res, causas, lites, & controuersias, quæ quasi curuæ sunt, obliquæ, distortæ, & confragosæ ad rectitudinem

tudinem legum, iurísque regulam reuocare, diiudicare, atque componere. Hoc autem præcipuè summi illius quasi iudicis, & rectoris, id est Regis, est officium, vt nimirùm & ipsemet rectũ à prauo discernere, & ea quæ praua sunt, ad recti normam dirigere, atque componere studeat, & idem à reliquis iudicibus, magistratibus, ministris, & officiariis sui Regni fieri curet, summo studio atque opera. Regere præterea, vndè Rex suum nomen habet, idem est, quod rem gerere. Ex his enim duobus verbum hoc videtur esse compositum, vnde etiam ex regere transpositis tantùm literis fit gerere. Hoc ipso autem significatur, illum demum verum esse Regem, hoc tã magnifico titulo dignum, qui non otio & inertiæ, sed negotiis, & actionibus bonis ac laudabilibus est deditus: quíque semper boni aliquid gerit, & agit: qui rem non suam, & priuatam, sed publicam bene sapientérque gerit: qui deniquè domi, forísque, in pace, & in bello, rebus fortiter laudabilitérque gerendis studet, nullísque se voluptatibus à rebus agendis abduci patitur. Regem autem hunc tuum, iuris & æqui studiosissimum, & ab omni otio & ignauia abhorrentem, benè laudabilitérque adhuc rem publicam gessisse, ac multarũ rerum gestarũ gloria florere, quid opus est multis verbis explicare, quũ id à nemine vel impudentissimo negari possit. Ad hæc Rex, si vim nominis spectes, is est habendus qui cùm vniuersam rempub. Curiam, Senatum, Forum, ecclesiam, atque religionem collapsam ac prostratam, tum singulos Regni sui incolas ia-

centes, miseros, & afflictos, potentiorum vi, ac tyrannide oppressos, consilio, consolatione, ope, operáque sua erigere rursus, excitare, ac subleuare: deniq; corrupta, & vitiosa queuis corrigere, & emendare sedulò studet. Atqui huius quoque officij Rex tuus multa iam omnium confessione edidit specimina, & edit adhuc quotidie. A Regis prætereà nomine deriuatur regio & regia, eò quòd Rex cùm totam regionem, ditionémue iuri potestatíque suę subiectam, eiúsque incolas, tum regiam in primis suam, hoc est, aulam, domum, atque familiam piè, honestè, sapientérque & in officio continere debet. Idem de hoc quoq; tuo Rege verissimè affirmari potest, qui cùm regnum tuum Gallicum, tum domum & familiam suam, aulicos suos ministros, & officiarios, partim vitæ suæ exemplo, partim præceptis, & monitis, partim pænis, atque præmiis in officio continere, ac coercere studet: Rectè facientes diligit, honoribus auget, præmiis afficit: delinquentes, minus officio, & existimationi suæ consulentes, coercet. Porrò, Rex prætereа à regendo dictus, is etiam est qui seipsum regere potest & affectus suos moderari (vt doctissimi quique censuerunt) & qui se sanctis monitis ab aliis quoque regi patitur: quod vtrunq; in Rege tuo elucere omnes vident. Præterea à verbo regendi (vnde Rex denominatur) rectum deriuatur & rectitudo (ita vt rectum omne regium, & regium vicissim rectum dici possit) Rectum autem id est quod honestum, verum, iustum, legitimum, syncerum, simplex, firmum, constans:

constans: idem denique quod virtus, siue cum virtute & officio coniunctum: vnde virtus à Cic. recta ratio & recta animi affectio appellatur. Rex igitur siue rector populi est, qui recti id est omnis virtutis, honestatis, & officij est amans, studiosus, qui rectè & ex ordine cuncta in repub. facit, qui recta à prauis optimè discernere potest, qui dictis factísque rectis studet, & delectatur, à prauis abhorret, recta sectatur, praua fugit, cuius rectum est cor, recta mens, recta conscientia. Tuus itaque Rex hanc ob causam Regis titulo & honore est dignissimus, cùm corde animóque sit verè regio, & recto, hoc est, fideli, simplici, syncero, & integro, iusto, firmo, constanti, forti, excelso, ad Deum, ad cœlum, ad regni salutem tuendam, & conseruandam erecto semper & excitato nō depresso, & defixo in mūdo, rebúsque mundanis, & terrenis: qui recto est oculo, recto ore corde & sermone. Recta preterea regiáque via, hoc est, patria lege, & consuetudine ad hoc regnum peruenit: recta regiáque via incedit, neq; ad dextram neque ad sinistram declinat, hoc est, ad verbum, legémq; diuinam (quæ quidem recta regiáque est via, omnis officij recta perfectaq; norma atque regula) omnia dicta, facta, consiliáque sua dirigit, & componit. Ad hæc cum Regis nomine, legis atque gregis voces, magnam affinitatem habent. Vnde legimus cuiusdam Regis hoc fuisse Symbolum PRO LEGE ET GREGE, quo significabatur ipsum legis pariter, atque gregis, hoc est, populi sui fidelem & paternam curam gessisse. Et

id quidem officium eſt cuiuſvis Regis, ac principis, vt nimirum legum diuinarum, & humanarum, quæ regula ſunt atque norma vitæ, morum, atque religionis, & in primis legum patriarum, religioſiſſimus ſit cultor, amator, atque cuſtos: & cùm ipſe leges colat, & obſeruet, tum alios ad legum obſeruationem incitet, & impellat. Deinde vt populi vniuerſi tanquam gregis hominum, egregij & dilecti ſit paſtor atque cuſtos. Id ipſum Regi tuo optimè conuenit, qui Legis pariter atque gregis ſui Francici & Gallici fideliſſimum ſeſe adhuc tutorem, patronum, & paſtorem exhibuit. An non ergò ex his apparet Regis nomen atque titulum huic tuo Regi optimè conuenire, cùm virtutes atque officia, quorum nomen illud nota eſt atque ſymbolum, quæque Regem decent, eidem probè congruant, ita vt illum non nomine tantùm, atque titulo tenus, ſed reipſa atque virtutibus, regio vt nomine, ita honore digniſſimum eſſe conſtet. Sed vt de Regis tui virtutibus pergam dicere (de quibus ſatis dici non poteſt, quæque totius orbis Chriſtiani ſermonibus celebrantur) regia in primis hoc eſt, regibus & re & nomine conuenientiſſima virtus eſt vera religio: quam verè reginam, atque dominam, caput, & fundamentum, atque adeò quaſi animam omnium virtutum appellare poſſumus, ſine qua reliquæ virtutes ſunt quaſi mortuæ, ita vt ne nomen quidem virtutum mereantur. Religionis itaque Chriſtianæ, quæ eſt purus Dei cultus, verbo eius, ac voluntati conſentaneus: ſinu, complexúque omnes reliquæ virtutes continentur.

continentur. Vnde timorem Domini,(quo vera religio intelligitur)ſapientiſſimus ille Rex, ſæpe initium,fontem,radicem,& ſcaturiginem ſapiẽtiæ vocat. Hæc verò cùm omnibus hominibus ad ſuam ſalutem, tum Regibus in primis ad ſe, ſuæq; poteſtati concreditos bene regendos,& ad benè fœliciterque regnandum omnino eſt neceſſaria. Religionem autem veram, & orthodoxam,non in auri, & argenti,in ſuppellectilis,veſtium, vaſorum, ceremoniarum, rituum, ac geſtuum externorum ſplendore,pompa,& magnificentia: ſed in ſpiritu,& veritate, in fide,ſpe,& charitate, in legis ac mandatorum diuinorum obſeruatione, in vitæ, morúmque puritate, & ſanctitate aſſidua, in primis & ardenti numinis diuini inuocatione conſiſtere, apud omnes veros Chriſtianos extra omnem eſt cõtrouerſiam. Reges porrò religionis Chriſtianæ non cultores ſolùm,confeſſores, ac imitatores, ſed etiam patronos,tutores, alumnos, paſtores, patres, propugnatores,ac propagatores eſſe decet: vnde Rex hic tuus optimo iure Chriſtianiſſimus appellatur. Nam Chriſtianæ fidei,doctrinæ, atque religionis rudimentis & myſteriis à teneris vnguiculis parẽtum ſuorum pia ac fideli opera imbutus ac inſtitutus fuit. Chriſtum Dei filium vnigenam & corde credit, & ore confitetur veniſſe in carnem: hoc eſt, pro ſe ac totius generis humani ſalute ſecundum carnem ex Spiritu ſancto conceptum, & ex Maria glorioſiſſima caſtiſſimáque virgine natum,paſſum, mortuum,ac ſepultum eſſe, deſcendiſſe ad inferos, reſurrexiſſe,

ascendisse in Cælos, sedere ad dextram patris sui omnipotentis, inde rediturum ad iudicandum viuos, & mortuos, ad exercendum vniuersale & vltimum illud iudicium, & ad electos quidem cœlesti æternáque beatitudine donandos, reprobos autem æternis illis gehennæ ignibus, ac tormentis addicendos & mancipandos. Christum Immanuelem verum Deum & hominem, solum, vnicum, & quidem sufficientissimum Dei hominúmque mediatorem, pacificatorem, sequestrum, & aduocatum, caput, pastorem, pontificem, Regem, Prophetam, doctorem, magistrum summum, spõsum Ecclesiæ agnoscit, credit, confitetur, ac veneratur. Nihil se aliud cum S. Paulo scire profitetur ad salutem æternam cõsequendam, nisi Christum, & hũc crucifixum. In solo Christi nomine cum S. Petro & aliis Apostolis confitetur saluos fieri, remissionem peccatorum consequi omnes, qui credunt in eum. Christum confitetur atque credit solum esse agnum occisum ab origine mundi, agnum prædestinatum ab æterno, agnum purum, atq; mundum, omnis labis & maculæ expertem, verum Pascha, tollentem peccata mundi. Christum credit & confitetur cum S. Paulo in mortem traditum esse propter delicta nostra, & resurrexisse propter iustificationem nostram, Christum credit & confitetur nobis factum esse sapientiam, iustitiam, sanctificationẽ, redemptionem. Christum Iesum credit in hunc mundum venisse vt peccatores saluos faceret. Christum credit ac confitetur dedisse semetipsum pro nobis, vt nos redimeret

redimeret ab omni iniquitate: & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. In Christo credit ac confitetur omnes thesauros sapientiæ, & sciẽtiæ esse absconditos. Christum credit ac confitetur per mortem destruxisse eum, qui habebat mortis imperium. In Christo solo, filio Dei viui, nos ante iacta mundi fundamenta ad æternam vitam electos, in & per illum solum vocari, adoptari, iustificari, sanctificari, glorificari, ad æternam, cœlestem, & immortalem illam vitam, gloriam, ac beatitudinem, sola Dei gratia prouehi. Christum agnoscit solum suum & omnium credentium Iesum id est seruatorem, liberatorem, redemptorem, viam, vitam, veritatem, resurrectionem, pacem, salutem in illo solo, & omnem salutis spem, defixam, & collocatam habet. Sola Christi hostia atque victima piaculari & salutari nititur, ac confidit, qua hostem generis humani victum, atque prostratum, capútque illius contritum est, quæq; sola, vt S. Bernardus loquitur, vt prodesse possunt, ita sola sufficit: ita vt nõ Christũ simul, & Petrum, aut Iacobum, vel Ioannem pro salute generis humani pati oportuerit, solius Christi iustitia, sanctitate, & excellentibus omnium virtutum meritis nititur & acquiescit: quibus illum hominum peccata expiasse, patris numen humano generi infensum placasse, aditúmque nobis in cœlum peccatis nostris interclusum patefecisse credit. Christi passio, quã S. Bernardus potentissimam ad extinguenda omnium genera peccatorum vocat, illius mors, atque crux-

ſalutifera, illi vita eſt, atque lux iucundiſſima: hanc ſibi ſemper ante mentis ſuę oculos proponit, aſſiduè cogitat, meditatur, inde ſolatia, atque quotidie remedia omnium malorum, miſeriarum, periculorúmque efficaciſſima, ſaluberrimáque haurit. Nam vt S. Bernardus pie dixit, quæ tam efficax ad curanda conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Chriſti vulnerum ſedula meditatio? Et idcirco omnia iuramenta vana, & futilia, deierationes, execrationes per Chriſti mortem, crucem, paſſionem, vulnera, ſanguinem, corpus (quibus vniuerſo generi humano æternam ſalutem partam eſſe credit) hodie inter Chriſtianos frequētiſſimè fieri ſolitas, tanquàm diras tetráſque blaſphemias, contumelias, & iniurias ipſi Deo factas, à Chriſti nomine atque religione abhorrentes, & à veris Chriſtianis alieniſſimas toto pectore execratur, deteſtatur, grauiſſimè prohibet, vetat, atque punit. Nihil itaque illi meritò Chriſto carius, nihil iucundius, nihil ſuauius: præ Chriſto pretioſiſſima quæq; illi fœtēt, ac ſordent, Chriſtum ſpirat, ad illum aſpirat, atque anhelat toto pectore. Doctrinam Propheticam, & Apoſtolicam, (quæ quidem ſola Chriſti eſt doctrina, & à Chriſti Spiritu eſt profecta) rectiſſimam, certiſſimam, pleniſſimámque vitæ, morum, fidei, religioníſque regulã & Canonem (vndè rectè Canonica appellatur) agnoſcit, Chriſti ſacramenta ab ipſo inſtituta ceu diuinarum promiſſionum ſigilla, certiſſima, plurimi facit, iis religioſè ad ſalutē ſuam cōmunicat, vtitur,

tur, ac fruitur. Christi spiritu agitur, & ducitur: cuius rei grauissimo argumēto sunt Christianissimæ illius virtutes, dicta, atque facta. Christi enim mores, vitam, ac virtutes, & pietatem, sanctitatem, iustitiam, tolerantiam, lenitatem, mā-suetudinem, liberalitatem, atque beneficētiam, erga pauperes præsertim, inopes, orphanos, viduas, peregrinos, pro gratia sibi à Christi spiritu tributa, atque concessa, imitari, atque æmulari sedulò studet, Christique ita vestigiis insistit. Christiani enim inquit S. Bernardus, à Christo nomen acceperunt: at operosum est, vt sicut sunt hæredes nominis, ita sint imitatores sanctitatis. Christum in membris suis esurientem cibat, sitientem potat, nudum vestit, peregrinum excipit, captiuum consolatur, atque liberat. Ex his ergo adhuc commemoratis patet: Regem tuum verè ac merito non Christianum solum, sed etiā Christianissimum censendum & appellandum esse. Nam quemadmodum ei, cui regia conuenit dignitas, atque honos, eidem regiæ quoque dignitatis, & honoris insignia, atque symbola, vt puta Corona, sceptrum, gladius, purpura, & cætera eiusmodi conueniūt: ita cui virtutes Christianæ insunt, eidem quoque Christiani nomen conuenit. Contrà autem hodie multi in orbe Christiano nominantur Christiani, qui re, & veritate nihil sunt minus, cùm illorum & doctrina, & fides, & vita, à Christi doctrina atq; vita longissimè discrepent, atque dissideant, imò contra Christum cristas erigant, eiq; cornua obuertāt. Reges olim Iudæorum in Veteri testamento di-

cebantur Christi, id est vncti, propterea quòd iuxta ceremonias illas Mosæas externo & corporeo oleo inungi, ac consecrari consueuerant: quódque erant typi, & figuræ Christi, Regis illius gloriæ, qui oleo illo lætitiæ, hoc est Spiritus sancti, eiúsque donis, atque muneribus plenè perfectéque delibutus, & imbutus fuit. Sic omnes veri christiani, qui eiusdem olei lætitiæ id est Spiritus Sancti fiunt participes, verè vncti appellantur. Talis autem est Rex tuus, qui vnguentis illis virtutum christianarum fragrantissimis, saluberrimísque redundat: quum Christum in monte Sion, hoc est, in Ecclesia (vt Psaltes Reges ac principes adhortatus est) exosculatur. Nam Regem tuum Christi Spiritu præditum, & ornatum esse arguunt ac demonstrant manifestè christianæ eius virtutes, quæ in illius vita, moribus, & actionibus suauissimi instar & odoriferi vnguenti, ac flosculorum instar fragrantissimorum florent, nitēt, olent suauissimè. Nisi igitur Rex tuus pulcherrimum hoc Christianissimi cognomen à maioribus suis hæreditarium accepisset, id ipse sibi, posterísq; suis virtutibus peperisset: quibus profectò illud non tuetur solùm egregiè & conseruat, sed etiam auget.

Iam verò Catholici seu Catholicissimi quoq; titulum optimo iure eidem tuo Regi assignari posse, vel ex eis, quæ de Christianiss. titulo, atque cognomine dicta sunt, facilè colligi, atque intelligi potest. Nam Christiani, & Catholici, (si rem & veritatem spectes) eadem est ratio, & cui

vnum

vnum conuenit,ei cõuenit & alterum.Itaq; cùm Regem tuum probauerimus esse Christianissimum,inde facilè concludi potest, illum quoque esse Catholicissimum:Nam vox Catholici Gręca(quę sonat Latinè generalem seu vniuersalem) à veteribus pro Christiano,Apostolico,Orthodoxo, veréque religioso vsurpata fuit, opposita heterodoxo,siue hęretico.Sed hunc titulum Regi tuo conuenire, facillimè probatur. Nam primò quidem Verbum diuinum,atq; canonicum, hoc est, Veteris & Noui testamenti doctrinam, Propheticam, & Apostolicam, à prophetis, & Apostolis vnica primùm voce prædicatã,deinde literis, memoriæque consecratam, & ad nos vsque singulari Dei beneficio transmissam, Catholicum Religionis canonẽ, hoc est, normam, atque regulam esse confitetur. Et idcircò adhuc Catholicum Canonem, Apostolicum, verum, rectum, atque perfectum, (qui exiuit in omnem terram,quique per Apostolos, Catholicos illos totius mundi legatos, atq; nuntios, καθ' ὅλον τὸν κόσμον, hoc est, per vniuersum mundum, per omnes nationes, & in omnib.linguis,promulgatus ac publicatus fuit) ad illum, inquam, Canonem, tanquam ad lydium lapidem, omnes alios canones,traditiones, opiniones,doctrinas, religiones denique explorandas,& examinandas esse iudicat.Deinde Symbolum Apostolicum,Catholicę,& Apostolicę fidei tesseram,(quod Tertullianus Fidei regulam appellat) ab Apostolicis,& Catholicis illis totius mundi præconibus, vt nonnulli volunt,compositum,aut ab Aposto-

lorum discipulis collectum, ac proditum, ab Apostolica, & Catholica Ecclesia receptum, & approbatum, omnium patrum cōsensu laudatum, & probatum, tanquam propheticæ, apostolicæ, & canonicæ illi doctrinæ, atque disciplinæ consentaneum, (cuius illud epitome est, atq; compendium) toto pectore recipit, amplectitur, omnémque contrà doctrinam, Symbolo huic canonico, & Catholico dissentaneam reiici, ac repudiari debere existimat. Præterea Orationem Dominicam ab ipso Christo Domino Seruatore nostro nobis præscriptam ac traditam, ceu perfectissimum omnium precum nostrarum exemplar, atque formam, cùm ore, tum pectore suo assiduè vsurpat: ad quam etiam omnes reliquas nostras preces exigi, dirigi, atque componi deberi verè sapientérque iudicat. Ad hæc Decalogum, legem illam 2. tabularum (quæ fons est, atque caput omnium aliarum legum) cùm corruptæ, vitiosæque nostræ naturæ, speculum, tum diuinæ iustitiæ, misericordiæ, ac voluntatis imaginem, tum denique affectuum, cogitationum, vitæ, morum, studiorum, officiorúmque nostrorum omnium erga Deum, & proximum canonem, atque normam cōfitetur esse Catholicam, exactam & perfectam. Itaque omnia siue dicta, siue facta, siue cogitata, quæ ei sunt consentanea, tanquam vera, orthodoxa, & Catholica approbat: contrà omnia, quæ ei aduersantur, atque repugnant, reiicienda & aspernenda esse arbitratur. Præterea 4. illa catholica, seu OEcumenica, vetustissima, celeberrima, legitima concilia,
nempe

nempe Nicenum primum, quod Constantini M. Constantinopolitanum, quod Theodosij M. Ephesinum primum, quod Theodosij iunioris: Chalcedonense, quod Martiani Impp. auspiciis, aduersus hæreticos celebratum fuit: conciliorúmque illorum doctrinam, atque cõfessionem ex animo amplectitur, ac profitetur: errores contrà, & hęreses ab illis condemnatas ipse quoque damnat, & improbat. Porrò secundum hanc ipsam Apostolicam disciplinam, & Euangelicam doctrinam, secundum scripturam Canonicam, secundum symbola Apostolica, & concilia illa Catholica, fidem Catholicam: Patris, Filij, & Spiritus S. vnam credit deitatem, sub pari maiestate, & sub pia trinitate, Vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate veneratur. Atque hunc quidem Deum, vnum essentia, trinum hypostasi, cœli, ac terræ, totius mundi, ac singularum eius partium, omniúmque naturarum, siue visibilium, siue inuisibilium, tam minimarum, quàm maximarum, sapientissimum, potentissimum, iustissimum, ac misericordissimum creatorem, conseruatorem, atque rectorem esse confitetur: illúmque tanquam spiritum immensum, & infinitum, in Spiritu & veritate colendum, & adorandum esse credit. Christum Dei filium vnicum, verum Deum, & hominem, Catholicum, (si ita loqui volumus) hoc est, vniuersalem, credit totius mundi esse Seruatorem, & illius Hostiam credit, vniuersalem, & quidem perfectam, sufficientémque esse peccatorum totius mundi expiationem. Spiritum item Sanctum ex patre

& filio procedentem, credit verum esse Deum, Patri & Filio consubstantialem, & vniuersalem Ecclesiæ Sanctificatorem: Ecclesiam denique credit esse vnam Apostolicam, & Catholicam, cuius pars est in cœlo triumphans, pars in terris militans quæ per totum terrarum orbẽ ita diffunditur & ad nouissimum vsque diem diffundetur vt nullis locorum finibus sit circunscripta. Credit Catholicam Ecclesiam, Sãctorum communionem, cuius caput, fundamẽtum, Petra lapis angularis, sponsus, summus pastor, & Pontifex, est ille Vnicus mediator Dei & hominum Iesus Christus: in qua viuere & mori cupit, pro cuius salute assiduas ad Deum preces fundit, pro cuius defensione in queuis sese offert mortis pericula. Ecclesiam quoque veram Catholicam illam esse credit, quæ Catholicam profitetur, colitque religionem. Religionem porro Catholicam esse statuit, quæ propheticæ, apostolicæ, canonicæ, atque Catholicæ doctrinæ, ac proinde voluntati diuinæ est consentanea. Huic ecclesiæ simul atque doctrinæ Catholicæ cum honorem defert, vt eius iudicium libenter subire, eius sententia stare, & acquiescere semper sit paratus. Ac quoniam errores, hæreses, superstitiones, & abusus multi à primitiuæ Ecclesiæ iudicio, more, ac consuetudine alieni, à Catholica & canonica illa doctrina atque scriptura abhorrentes, præsulum ecclesiæ partim incuria, & negligentia, partim auaritia & ambitione, partim superstitione paulatim in ecclesiam irrepserunt: de quibus iam aliquot sæculis religiosissimi sanctissimique viri multi,

multi, cùm doctores & Ecclesię antistites, tum Reges, atq; principes grauissimè conquesti sunt, ecclesię, religionisque reformationem vehementer flagitantes: quoniam etiam his præsertim temporibus grauissimæ sunt de religione in orbe Christiano controuersię: idcircò hic tuus Rex ad exemplum primitiuę Ecclesię, imitatione maiorum, & prędecessorum suorum, libero, iusto, atque legitimo aliquo concilio, omnes huiusmodi errores, & abusus tolli, ac aboleri: quę vitiosa sunt, corrigi, & emendari, Ecclesiam reformari, ac instaurari: denique graues illas controuersias decidi, diiudicari, componi, atque ita Ecclesię veritatem atque concordiam stabiliri cupit, ita vt nihil magis in votis habeat.

Quum verò duę sint in hoc illius regno religiones, quarum vtraque Apostolica, Catholica, Christiana, vera, & orthodoxa vult censeri: & quarum vna, Romana, altera Reformata, seu Euangelica vulgò appellatur: Rex tuus pro pia sua sapientia, atque modestia, vtriusque religionis dogmata, non (sicut adhuc cum maximo totius regni damno ac detrimento factum est,) vi, ferro, armis, atque flammis, sed humanis, modestis, beneuolisque colloquiis, disputationibus liberis, legitimisque synodis, & iure diuino, Propheticis & Apostolicis scriptis comprehensus, vult disceptari, diiudicari, & decidi, vnde veritas magis magisque elucescat. Prætereà fidem iureiurando etiam interposito dedit, sese vtriusque Religionis hominum semper fidelem aduersus omnem vim, & iniuriam, velle esse tutorem, at-

que patronum: omnémque daturum operam, vt vtriusque Religionis cultores religionem suam liberè colere, & exercere possint, atque ita vnicuique sub hac sua tutelâ, & patrocinio, secundum religionem, & conscientiam liberè, tutò, securè, pacatè, atque tranquillè viuere, & suis vectigalibus, stipendiis, honoribus, muneribus, atque bonis vti, fruíque liceat. Ne quis autem religionis prætextu alteri vim, & iniuriam inferat, sedulò se prohibiturum, & quosuis inhonestè, sceleratè, flagitioséque viuentes, quamcunque illi religionem profiteantur, acerrimè grauissiméque puniturum, omnésque æquabili iure in pace & tranquillitate cõseruaturum, acerrimum denique omnium iniuriarum vindicem, & cultorem futurum profitetur. Cùm igitur Rex tuus ita sit animatus, & ad vtramque Religionem Romanam & Reformatam (quas spes est fore vt paulatim in vnam religionem & Ecclesiam coalescant) ab omni vi, iniuria, atque tyrannide defendendam propensissimo sit animo, atque studio: quis illum non Christianum, atque Catholicum, imò Christianissimum, & Catholicissimum, meritò habendum, & appellandum duxerit?

Et hæc de Regis tui religione, de qua copiosior aliquantò & prolixior fuit mea oratio: & quòd religio est quasi metropolis omnium reliquarum virtutum, & quia Regibus illa maximè est necessaria, & quia de illa hodie maximæ sunt inter Christianos contentiones, & denique quia hic tuus Rex, à maleuolis, inuictis & imperitis

quibusdam

quibuſdam hominibus falſæ religionis,& hære-ſeos inſimulatur : vnde nonnulli ſuæ aduerſus illum rebellionis,contumaciæ,ac feloniȩ occaſionem,anſámq; arripiunt, & hoc quaſi velo, & tegmento illam conantur tegere,atque palliare.

Nec verò mirum tibi videri, aut te offendere debet, quòd religionem illam conſtanter adhuc retinet,profitetur,atque colit,in qua natus,educatus,& ab ineunte ætate fuit inſtitutus,quámq; Catholicam , Canonicam , Apoſtolicā veram & orthodoxam eſſe animo ſuo penitus perſuaſum habet , pro qua etiam quàm plurimi , in tua patria , vt non es neſcia , non dubitarunt mortem oppetere , & ſanguinem ſuum profundere. Sed enim docilem omnino, & attētum cuiuis illum meliora & veriora ex verbo Dei docenti,ſe prȩbiturum ſemper eſt profeſſus. Hoc certè ipſum religioſiſſimi, conſtantiſſimíque animi ſingulare eſt teſtimonium , quòd non temerè quouis doctrinæ Religioniſve vento ſe huc vel illuc agitari,& impelli ſinit,quum obſtinatio,& cōtumacia in errore, poſtquam eius veris ſolidiſque rationibus eſt conuictus,hȩreticū faciat.Quamobrem minimè hȩreſos nomine vel accuſandus, vel damnandus eſt Rex hic tuus,ſi non omnia ea credit,& recipit,quæ Rom.Pontifices, epiſcopi, cardinales, ſacerdotes, doctores, monachi, credenda obtrudunt. Damnanda enim hoc pacto eſſet primitiua & Apoſtolica Eccleſia, quæ plurima illorum, quæ hodie creduntur, coluntur,& fiunt in Eccleſia Rom.ignorauit.Damnandȩ eſſent duȩ tertiæ orbis Chriſtiani,ac multi Reges,

principes, magistratus, ciuitates, populi nostræ ætatis, qui non omnibus Rom. Ecclesię ceremoniis, opinionibus, & traditionibus, assensum præbent. Quàm multi enim, quæso te per Deum immortalem, viri & doctrina, & pietate pręstantissimi, aliquot iam annis, imò sęculis, grauissimè conquesti sunt de superstitiosa imaginum, simulachrorum, atque statuarum innumerabilium veneratione, de Sanctorum, quos in diuos Pontifex Ro. retulit, (de quorum nonnullis dubitatur sint ne in cœlo an in inferno, an fuerint vnquam in rerum natura) inuocatione, de ossium, reliquiarúmque multarum, fictarum, & incertarum ostentatione, atque cultu: de Eucharistiæ seu Cœnæ Dominicæ prophanatione, ac mutilatione: de panis consecrati in pompis Ecclesiasticis, & agrorum lustrationibus, circumgestatione: de transubstantiatione, de campanarum baptizatione, de aquæ lustralis ad abluendas animi labes aspersione: de rebus ad arcenda fulgura & tempestates à pontifice Rom. consecratis, de suffitu ante aras: de immodica dierũ festorum multitudine, de eorundem abusu partim superstitioso, partim luxurioso, & lasciuo: de bullis & indulgentiis pontificiis: de precibus idololatricis: de peregrinationibus ad Sãctorum simulachra, atque statuas: de impuro sacerdotũ atque monachorum cœlibatu. Quàm multæ præterea & quàm graues eorundem extiterunt quæstiones, disputationes & querelę, de confictis multis miraculis, de commentitiis & anilibus multis fabellis, de diuorum vita, morte, atque operibus:
de

de violatis ob institutiones hominum pręceptis diuinis: de multis traditionibus incertis, dubiis, & perplexis, de quęstionibus potiùs Philosophicis, quàm theologicis, quę plus futilitatis quàm vtilitatis habent, de multis conscientiarum laqueis: de multis aliis vitiis, & abusibus, qui Religionis fuco in Ecclesiam fuerunt introducti, qui omnem ferè vigoris Euangelici scintillam extinxerunt. His adde eorundem querelas graues, & iustas de Pontificum Rom. potestate, quam illi sibi arrogant, & assumunt, ferè infinita, de illorum proscriptionibus, bellis, atque tyrannide: de fratrum mendicantium & aliorum monachorum omnibus voluptatibus, & delitiis affluentium, ficta & fucata religione, mendicitate, continentia, hypocrisi, superstitione, atque tyrannide, & impuritate: de Pharisaismo simul, & Epicureismo in Cœnobiis, & monasteriis, de Canonicorum, de antistitum religionis ferè omnium Regia dominatione, neglectione studiorum, inspectionis Ecclesiarum, & synodorum, vitæ morúmque impuritate: de officiorum sacrorum Simoniaca venditione: De missarum nundinatione: De his & aliis multis, quæ vix percenseri omnia possunt, illi quoque ipsi, qui Ecclesiæ religioníque Rom. planè sunt addicti, hodie quoque grauissimè inter se dimicant, atq; digladiantur. An non igitur quęso iniquum fuerit & iniustum, Regem tuum hæreseos accusare ac condemnare velle, propterea quòd non statim fidem adhibet omnibus iis opinionibus, atque doctrinis, de quibus adhuc sub iudice lis

est, & de quibus illorum ipsorum, qui Catholicissimi, vt ita loquar, haberi volunt, tot ferè sunt quæstiones, & opiniones, quot capita.

Habes itaque Regem, non (vt impiè nonnulli calumniantur,) hęreticum, aut relapsum, sed hæreses, errores, & abusus omnes detestantem: atq; ex Ecclesia non vi, ferro, armis, atque bellis, sed synodis iustis, legitimis, atque liberis tollere, atque euellere conantem. Relapsus autem dici & haberi debet is, qui in manifestam hæresim, cuius verè, rectéque conuictus est, & quam voluntariè abiurauit, denuo recidit. At hic tuus Rex nullius se hæreseos vnquam conscium aut conuictum fuisse profitetur. Est igitur, ô Gallia, quod tibi gratuler, & quod gaudeas, atque læteris, quoniam Regem habes non atheum, epicureum, & irreligiosum, sed religiosissimum, qui nimirum Deum timet, & honorat, qui ei soli adhæret, ei soli confidit, in eius solius gratia, atque misericordia, per Iesum Christum omnem salutis suæ spem collocat, & idcirco illum solum dies noctésque inuocat.

Venio nunc ad alias præclaras & eximias Regis tui virtutes, quæ ipsæ quoque testimonio sunt atque iudicio illum regio & titulo & honore, dignitate, potestatéque dignissimum: Regémque religiosissimum, Christianissimum, & Catholicissimum meritò appellandum.

Hæ autem virtutes aliæ quidem sunt mentis, & intellectus: aliæ verò cordis, voluntatis, & affectus.

Ac prioris quidem generis virtutes Regi ad bene

bene hoc ſuum munus obeundum vtiles valde, imò neceſſariæ ſunt. Sapientia, hoc eſt, multarum rerum,& diuinarum,& humanarum:& politicarum, & Eccleſiaſticarum: & pacis, & belli ſcientia,atque cognitio:cuius comites,atque ſociæ ſunt prudentia, cautio, circunſpectio, ſolertia, ſagacitas, iudicium, conſilium, memoria. Nam vt Sol, ſicut ab Ambroſio dicitur, eſt oculus mundi: ita Rex debet eſſe oculus regni: acutè accuratéque proſpiciendo,ac conſulendo eius dignitati, atque ſaluti. In Sapientia, inquit Eſaias, regnabit Rex. Rex ſapiens, vt inquit ipſa Sapientia, populi eſt fulcrum, atque columen: vnde Βασιλεὺς Græcè q. Βάσις τοῦ λαοῦ.i. baſis ſeu fundamentum populi nonnullis videtur eſſe dictus. His ſuffragatur Syracides: Natus eſt, inquit, homo princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, ſtabilimentum populi. Si delectamini, (inquit rurſus Sapientia, eodem in loco,) ſedibus, & ſceptris, ò Reges populi, diligite Sapientiam,& in perpetuum regnabitis. Sapientiā itaque, ſenſum, & intellectum populus Regi ſuo à Deo precatur, vt bene regere poſſit Iſraëlem. Et Salomon in patris ſui locum ſuffectus non diuitias, non opes, non gloriam, non vindictam, non vitam diuturnam, ſed ſapientiam,atque ſcientiam, qua egredi coram populo, & ingredi (vt habet Hebræa dicendi forma) hoc eſt, populū bene gubernare, domi, foriſque boni Regis, atque ducis officium obire poſſit. Rex contrà inſipiens, vt Syracides ait, perdit populum ſuum. Et væ, inquit Iſaias illi terræ.i. re-

gioni atque genti, cuius Rex puer eſt, ſcil. non ætate ſolùm, ſed etiam ingenio, atque iudicio. Vox enim Hebræa Naar, (vnde Germ. narr. i. ſtultus videtur deriuari,) ambigua eſt, & cùm puerum, tum ſtultum ſignificat. His adde poſtremò Ariſtotelis teſtimonium, qui prudentiam vocat propriam & vnicam imperantis virtutem. Quoniam itaque Regem ſingulari ſapientia, intelligentia atque conſilio præditum eſſe decet: vnde Βασιλεὺς Græcè, vt nonnullis placet, ἀπὸ τοῦ λεύσειν. i. videndo ſeu perſpiciendo: & denique vernacula noſtra lingua, Kunig à Kumen, ſiue Kunſt, Konnen. i. à ſcientia videtur eſſe appellatus.

Gaude igitur rurſus & lætare, ô Gallia, quòd Dei bonitate Regem nacta es, non Chilpericum III. Meroueæ familiæ vltimum cognomento Stupidum: non Carolum Ludouici Balbi filium, qui Simplex fuit cognominatus, ſed Regem nacta es Solomonem, vt ita loquar, ſapientia, atque prudentia, rerúmque plurimarum experientia, atque ſcientia inſtructum: Regem acutiſſimi, acerrimíque ingenij, atque iudicij: Regem prouidum & circunſpectum. Regem qui conſilio plurimum valet, qui cùm ad capienda atque danda vel ex tempore, optima & ſaluberrima conſilia, motus animi habet celerrimos: tum ad aliorum ſanis boníſque conſiliis parendum, & obtemperandum aptus valde eſt, & idoneus. Conſiliariis enim & conſultoribus (qui quidem veræ ſunt Regni opes, theſauri, præſidia, & ornamenta, Regum quaſi oculi, atque aures) vtitur ac delectatur ſapientiſſimis, fideliſſimis,

mis,

mis,atque fortissimis, qui liberè & ingenuè non ad eius voluntatem,sed ad veritatem,publicámque salutem, loqui, atque consulere solent, ac audent:quibus etiam bene consulentibus libentissimè paret & obtemperat. Cui igitur dubium quin Sapientis cognomentum mereatur, quod Carolo v. qui floruit anno M. CCC. LXXV. tributum fuisse legimus. Cic. enim sapientissimum esse dicit eum,cui quod opus sit ipsi veniat in mentem:proximè accedere illum,qui alterius bene inuentis obtemperet.

Quid dicam de memoria eius memorabili sanè planéque diuina, quam animi dotem verissimè idem Cic. firmam rerum verborúmque omnium perceptionem, nec non thesaurum, & custodem appellat: quámque nos sapientiæ, & virtutum omnium matrem, atque nutricem,omnísque actionis orationísve moderatricem, meritò vocare possumus. Virtus hæc Reges, ac principes maximè commendat, illísque valde non vtilis solùm est,sed etiam necessaria:cùm optimum sit bene & agendi & dicendi subsidium, & adiumentum. Literarum monumentis celebratur cùm Mithridatis potentissimi & clarissimi illius Regis Ponti, tum Cyri Regis,Persarum memoria, quæ tanta fuit, vt singulos quosque milites, qui prope erãt innumerabiles, propriis nominibus ac cognominibus appellare potuerit. Horum Regum memoriam vel adæquare, vel proximè ad illam accedere Regis tui memoriam, testes sunt plurimi eius milites, quos singulos suis nominibus sine nomenclato-

ris ac monitoris opera compellare consueuit. Testes eiusdem sunt cùm Legati, tum eius consiliarij, quorum orationes, rationes, atque argumenta licet diuersa, vno eodémque tempore, quamuis aliis quoque simul cogitationibus intentus, mente, memoriáque sua tam bene fœliciterque percipit, vt vel ex tempore ad singula, quæ ab illis dicta, & proposita fuerunt, apertè, & appositè respondere possit. In hoc verò tam excellenti eius bono, illud quoque cùm admiratione, tum prædicatione & imitatione est dignissimum, quod cùm tanta ferè sit vi memoriæ præditus, vt nihil propè eorum, quę semel comprehendit, ex animo eius effluere rursus posse videatur, tamen beneficiorum quidem, officiorúmque ad illa referenda ac remuneranda mirum in modum memor est, atque gratus, iniuriarum autem acceptarum obliuiosissimus.

Regia præterea virtus, Rerump. atque regnorum moderatoribus conuenientissima est, & prudentiæ comes & administra Vigilantia, industria, diligentia, assiduitas, laboris vigiliarúmque patientia. Agesilaum legimus dicere solitum, sic somno se vti, vt non somno, sed vt negotiis seruiret. Erat nimirũ ab Iride illa Homerica Ili. B. admonitus: quæ Agamemnonem excitans è somno, negabat principem solidam debere noctem dormire, cui commissa est cura populi. Hinc Socrates cum Aristippo differens apud Xenophontem: Illum, inquit qui gubernandi artem discit, ne res propter illius somnolentiam detrimentum patiatur, in somno capiendo

piendo continentem esse oportet, vt possit & tardè dormire, & ante diluculum surgere, & vigilare, si opus sit. Sic Legum custodes Plato 12. de legib. vult noctu surgere: noctu enim Reipub. negotia commodissime tractari. Augustum non vltrà VII. horas dormire solitum, Sueton. ait. Omnium enim domus, inquit Seneca, Cæsaris vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delitias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo imperio se dedicauit, sibi eripuit: & syderum modo, quæ irrequieta semper cursum suum explicant, nunquam illi licet subsistere, nec suum quicquam facere. Hanc ob causam Rerumpub. & ecclesiarum præsides, speculatores, vigiles, excubitores appellantur: quod Reipub. saluti semper inuigilare, próque illa excubare, omnes vigilias, curas, cogitationésque in illa defigere debent.

Gaude igitur & lætare, Gallia, quod Rex tibi contigit Dei benignitate alacer, impiger, industrius, qui saluti tuę & incolumitati inuigilat: cui quum res postulat, duas aut tres horas sæpius dormire sat sit, aut etiam noctes insomnes ducere: qui est vigilum & excubitorum suorum ipse vigil & excubitor. ô vtinam, Gallia, te ad laudem tandem aliquando & salutem tuam ex isto veterno tuo excitare possit.

Regia porrò virtus est Iustitia, optima regnandi magistra, qua remota vt August. ait, lib. de ciuit. Dei 3. c. 4. regna nihil aliud sunt quàm magna latrocinia, qua alterum & proximum est à Religione Reip. administrandæ fulcimen-

tum : adeò vt huius tui Regis vere proprium sit Symbolum *Pietas & Iustitia.* Iustitia enim nihil clarius, nihil pulchrius: vnde nec Hesperũ nec Luciferum illa formosiorem esse dixit Aristot. Hãc apud Persas pueros in schola discere fuisse solitos, Xenophon Cyri Regis exẽplo docet. Iustitia & bonitas duæ sunt Catenæ validę, atq; firmæ (vt Dion dixit ad Dionysiũ tyrannum Syracusanũ) quibus regni status in pace & fœlicitate cõseruari potest. Iustitia est, vt inquit Ambros. lib. 1. de off. quę dat cuilibet quod suũ est, nihil vendicans alieni: vt S. Bernardus eã definit: est reddere vnicuiq; quod suum est. Per hãc virtutem primùm principes ad regiam dignitatem euectos fuisse Herodotus Deiocis exẽplo probat: qui propter singularem iustitię existimationem primus Rex Persarum fuit creatus. Vnde Solomon: Sedes, inquit, Regis, quæ verè iudicat pauperes, perpetuò fortunata erit: Idem, Iustitia thronus Regis stabilitur. Vt autem præclara, ita rara hæc est virtus in Regibus: qua de causa nullus ferè vnquam Rex Iusti cognomen assumpsit. Et Antigonus Rex, Sophistæ cuidam, & assentatori librum ei de iustitia inscriptum offerenti, dixisse fertur: Nugaris cùm apud me de iustitia disseras, quum videas me armis alienas vrbes inuadentem. Antiquissimus tamen & celeberrimus ille Rex Salem, id est pacis (qui illustris Christi typus fuit) Melchisedech dictus est, hoc est Rex iustitię, quo ipso inter alia significatum fuit Reges oportere iustitiæ maximè esse amantes & studiosos. Iustitia Regis, inquit Augustinus, est pax populi,

populi, tutamen patriæ, gaudium hominum, tẽperies aëris, ſerenitas maris, terræ fœcũditas. Ex hac vna virtute viri boni, vt inquit Cic. maximè appellantur, quæ mirifica quædam res multitudini videtur: in qua virtutis ſplendor maximus. Hæc pacis eſt alumna, cuſtos & conſeruatrix: hęc omnium reliquarum virtutum eſt Regina, atque domina rerumpub. atque regnorum moderatrix optima, & columna ſtabiliſſima: qua ſublata reſpublicas atque regna conuelli, & labefactari eſt neceſſe. Omnino Regis eſſe facere iudicium, & iuſtitiam, paſſim Deus ipſe in verbo ſuo teſtatur. Sap. 1. Diligite iuſtitiam qui iudicatis terrã. Vnde Solium regium, ſymbolum eſt ſeſſionis, auditionis, examinationis cauſarũ, iudiciorum. Sceptrum ſimiliter, ſiue virga, inſigne eſt regiũ, ſignificans ſummum, & inflexibile recti ſtudium, omni gratia, quaſi fronde ſpoliatum: & exactam iuſtitiæ normam, ac regulam, ad quam ſunt omnes controuerſiæ dirigendæ. Vnde Reges olim ſceptrum geſtare ſoliti ſunt, vt oſtenderent officium ſuum eſſe, neque gratiæ quicquam, neq; offenſioni tribuere, ſed ſine vlla perturbatione quicquid eſſet in hominum moribus, & contractibus obliquum, ad recti rationẽ & iuris ordinẽ reuocare. Inde fit, vt in ſacris literis, hoc ſiue ſceptri, ſiue virgæ nomen, ad regiam iuriſdictionem ſignificandam poſitum ſæpe videatur. Vnde Iuſtitia vernacula noſtra lingua Rectitudo appellatur: quia eſt regula & norma rectitudinis, qua quiſpiam ſibi & proximo id tribuit, & exhibet, quod ei debetur.

Te igitur, ô Gallia, térque quatérque beatam, cui Deus Regem dedit, licet imprimis virtute clarum, & illustrem (vt quotidianæ eius actiones iustitiæ æquitatísque plenissimæ testantur) qui Solomonis, Dauidis, Iosaphati, & multorum prædecessorum atque maiorum suorum exemplo insistens vestigiis, iustitiæ, & æquitatis est amantissimus, sedulóque dat operam (quæ eius fundamenta Cic. appellat) primum vt ne cui noceatur, deinde vt communi vtilitati seruiatur, tum vt ius cuique suum tribuatur, pariter æquabiliterque sine vllo vel munerum, vel personarum respectu: vt boni defendantur, honoribus & præmiis afficiantur, contrà nocentes atque facinorosi debitis meritísque pœnis coerceantur: denique vt aduersus vim, & iniuriam improborum, pax, trãquillitas, & disciplina honesta in regno conseruari possit. Iustitiæ partes sunt non violare homines, & dare operam, ne ab aliis violentur, lędantur, iniuriis afficiantur. Iustitiæ proprium est, vt non modò quis nemini iniuriam inferat, verum etiã omnem vim iniustam, & iniurias ab aliis illatas pro virili depellat, & propulset. Et talis hic est Rex tuus. Non modò nemini iniuriam affert, vel lacessitus, sed eam ab aliis quibusuis, quibus infertur, propulsare studet, eos qui iniustè in alios impetum facere, iísque violentas manus afferre conantur, coercet, ac reprimit. Qui idcirco multò magis Iusti cognomẽ meretur, quàm Aristides ille prisci temporis princeps. Iustus, teste ipso Spiritu S. germinabit, sicut lilium: & florebit in æternum, sic Rex tuus iustitiæ,

iustitiæ, æquitatis & innocentię candore liliorũ instar (quę etiã eius sunt insignia) floret, & florebit in perpetuum. Hęc ipsa iustitia est eius quasi vestis regia, quauis purpurea & aurea veste lõge pretiosior: Ita vt Iobi illa de se vsurpare possit: Iustitia indutus sum, sicut vestimento. Eadem virtus est illi loco thoracis, & armorum, iuxta illud Sapiẽtis, Sap.5. dictum: Induit pro thorace iustitiam, Rex, inquit Solomon, Pro.20. qui sedet in solio iudicij sui, vultu suo omne malum dissipat. Vt igitur Sol hic clarissimus nebulas dispellit: Ita Rex tuus sedens in solio iudicij, id est exercendo & exerceri conando iudicia iuxta iustitiæ, æquitatis, & legum normam: magis, magísque dissipabit vultu nutúque suo, omnium calumniarum, & mendaciorum nebulas, quas veritati, iustitiæ, & æquitati nebulones, hoc est, sycophantæ, impostores multi effundere conãtur: & Iosaphati Regis Iudæorum exemplo, iudicia corrupta, adulterata, venalia corrigere, & emendare, ac in pristinam dignitatem vindicare vides, illum omni studio eniti, & elaborare: cùm iudiciorum corruptela in tuo Regno præcipua sit causa malorum, & calamitatum, quibus illud diuexatum adhuc & afflictum fuit. Cùm autem iustitia comparari debeat misericordiæ (nam iustitia sine misericordia est crudelitas, & misericordia sine iustitia est fallacia) vtriúsque studium in Rege tuo coniunctum esse satis supérque constat.

Ad hæc Regia virtus est fides (quam veteres promissorum conuentorúmque fidam obser-

uantiam, & mutuam ſtipulationum exhibitionem appellarunt) & veritas, cuius cùm omnes homines, tum Reges in primis ac principes ſtudioſiſſimos eſſe decet. Fidem vere Cic. iuſtitiæ fundamentum, & dictorum, conuentorúmque conſtantiam ac veritatem definit. quam ſic vult dictam, quòd fiat id, quod dictum aut promiſſum eſt. Veritatem poëta ille antiquiſſimus magnæ virtutis principium eſſe dixit. Hilarius Epiſcopus fidei conſtantiam in Germanis maximè probauit, quorum fratres & gentiles Franci & Heluetij ſunt. Vt autem fide & veritate nihil præſtantius, ſalutarius, glorioſius: ita perfidia, & mendaciis nihil impius, nihil fœdius, nihil pernicioſius. Vnde bella niſi ex pactorum, conuentorum, fidei denique datæ & acceptæ violatione? Carolus dux Burgundiæ potentiſſimus, opulentiſſimus & vltimus ſuæ in Conneſtabilem Franciæ, qui & ipſe ex Regis tui paternorum progonorum eſt numero & in Heluetios perfidiæ (vt innumera alia exempla omittam) graues & atroces pœnas dedit. S. Bernardus Epiſtola 38. ad Comitem Camp. Theobaldum: (quem in maternis Regis tui auis inuenies ſi quæras accuratè.) & quidem in aliis principibus ſi quando verbum lenitatis aut etiam falſitatis deprehendimus: nec nouum, nec mirum reputamus. At verò apud Comitem Theobaldum Eſt, & Non, nequaquam omnino patienter audimus, cui, vt dicitur, ſimpliciter dicere, iurare eſt, & leue mendacium, graue periurium imputatur. Inter plurima quippe virtutum inſignia, quæ veſtram

pluri-

plurimum nobilitant dignitatem, & vestrum per orbem clarum reddunt & celebre nomen, præcipuè laudatur in vobis veritatis constantia. Epaminondas Rex, ne per iocum quidem mentiendum esse dixit. Principem & Regem per omnem vitam in dictis atque promissis ita constantem esse oportet, vt illius vel iniurati dicto, citiùs, certiúsque, quàm aliorum iureiurando, fides habeatur: vt Nicoclem docet Isocrates, Fides, inquit Dionysius Halycarnass. cuiusque iuramentum est maximum & firmissimum testimonium. Nullum contrà crimen grauius perfidia haberi debet: quod semel admissum, nunquam aboleri, nulla obliuione deleri potest: quod Græcis, Pœnis, & aliis gentibus perpetuam ignominiæ notam inussit.

Rursus igitur, ô Gallia, tibi gratulor, quòd Regem singulari Dei clementia consecutus es, antiquæ, firmæ, constantis, & verè Francicæ fidei. Nam vt S. Bernardus ep. 219. ait, apud Francigenas olim iuramentum soluere probro ducebatur. Verè igitur Regem tuum ἀδόλῳ γνώμῃ καὶ ὑγιεῖ .i. mente sana, ab omni dolo, & fuco aliena, appellare possumus: qualem Regem Plato in epistola quadam Dioni propinquo suadet vt eligant. Tantò autem admirabilior, gratior, & iucundior hæc tibi singularis Regis tui fides videri debet, quô illa rarior est infido, perfido, ac per iuro isto nostro sæculo, quo contrà tuta magis, ac peruulgata est perfidia, atque periurium. Meritò igitur hunc tuum Regem Vvarramundum quod nostra lingua os verax sonat, ap-

pellamus: quod nomen fuit primi Regis Francorum, Marcomiri ducis filius anno 420. & de quo per lineam continuam masculinam & directam descendit hic Rex tuus. Exulat à nostro hoc seculo & ab orbe Christiano fides, perfidiæ atque periuriorum plena sunt omnia: ita vt illud Solom. Pro. 20. dictum verè possit vsurpari, virum fidum seu fidelem quis inueniet? Fides enim illa quæ Deo est præstanda, quæ in Deum dirigitur, nequaquam vera & sincera in iis esse potest, qui fidem hominibus etiam improbis datam atque promissam non præstant. Quicquid igitur illi de sua fide, in Deum, in Christum verum Deum, & hominem, vnicum Dei, hominúmque mediatorem, iactant, atque gloriantur: tamen si perfidi sunt atque periuri in proximum, illi omnis profectò fidei atque religionis reuerâ expertes sunt censendi: non secus atque illi, qui, teste Ioanne Apostolo, vacui sunt charitate erga proximum, charitate quoque erga Deum omnino carent. Ethnici quoque maiore religione fidem etiam hostibus datam seruandam sibi, atque colendam esse duxerunt, quàm nos, qui Christiani nominis auctoritatem nobis vindicamus: id quod multis exemplis probari posset. Fidem violare hodie inter Christianos pro ioco & ludo habetur: & ludũt Reges fœderibus, vt pueri nucibus. Tãtò magis igitur Regis tui fidem, quam etiam inimicissimis datam sanctè, religiosèque præstat, atque seruat, admirari, & imitari debes.

Regia prætereà virtus, Regibus in pace, bel-

lóque maximè neceſſaria, viri propria, & maximè decora, eſt fortitudo, ſeu magnanimitas: quam eleganter veréque oratorum ille maximus, conſideratam periculorum ſuſceptionem, dolorum laborúmque perpeſſionem, ac contemptionem definit: cuius virtutis proprium eſſe ait nihil extimeſcere, omnia humana deſpicere, nihil quod homini accidere poſſit extimeſcendum putare, nulli neque fortunę, neque perturbationi ſuccumbere. Eius munera maxima eſſe, mortis doloríſque contemptionem. Nam fortitudo omnis aut in dolore, aut in labore, aut in periculo ſpectatur.

Fortitudo igitur quæ eſt animi affectio, legi in perpetiendis rebus obtemperans, vel rerum magnarum appetitio, & rerum humilium contemptio: comites habet (iuxta Cic.) magnitudinem animi, grauitatem, patientiam, rerum humanarum deſpicientiam: iuxta Macrobium, magnanimitatem, magnificentiam, conſtantiam, perſeuerantiam. Hac quoque virtute Rex tuus omnium confeſſione ſimul & admiratione excellit: quæ in multis rebus arduis, difficillimis, atque periculoſiſſimis ſpectata ſatis eſt, atque probata. Eſt igitur quod rurſus gaudeas, ô Gallia, Deóque gratias immortales agas, quòd eius munere, & beneficio Regem adepta es forti, ſtrenuo, excelſo, intrepido, & inuicto animo præditum, bellicoſum: qui nulla pro æquitate, & iuſtitia, pro patria, pro ſubditis pericula adire recuſat: qui in rebus maximis gerendis, & ſuſtinendis exercitatus, nunquam contrahit aut de-

mittit animum: nullorum negotiorum molestiarúmve mole, ac magnitudine obrui, ac debilitari potuit, quin contra vrget ac resistit, vltróque negotiis occurrit. Qui in acie præire audet, & cui egregiè conuenit quod de Iulio Cæsare legimus (huic enim Rex tuus multis nominibus est comparandus) nunquam illum dixisse: Illuc ite, sed huc venite. Idem de Rege tuo verissimè dici potest, qui præire, vel primus in aciem prodire est solitus, qui vt de Rege in sacra historia scriptum, graditur ante suos, pugnat bella eorum. Nam instar leonis fortissimi, nullius ad occursum expauescit, ita vt verè Βασιλεὺς τε ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής. i. Rex simul atq; bellator bonus dici mereatur. Nullum ferè iam per aliquot annos prælium, nulla pugna, nulla velitatio, nulla oppidorum oppugnatio extitit, cui ille non interfuerit solùm, sed etiam præfuerit, in qua non pręiuerit: ita vt hac in parte multis viris bonis, & sapientibus, de salute eius valde, vt par est, solicitis etiam hic modum excedere videretur. Vnde meritò Audax siue Animosus videtur posse cognominari, quod Philippi III. illius cognomentum fuit, qui Ludouici S. Filius fuit primogenitus, & fons familiæ Valesiæ: frater Roberti, à quo altera familia Borbonia promanauit. Quod tamen non temeritati, sed bonæ conscientiæ, animi magnitudini, & confidentiæ in Deo est tribuendum. Vnde admonitus aliquando à viris patriæ, & eius salutis amantibus, vt esset cautior, maiorémque salutis suæ rationem duceret, respondere magno & excelso animo

fuit

fuit ſolitus, ſe vitam ſuam diuinæ commiſiſſe tutelæ, atque pręſidio, & cùm cauſę ſuę bonitate, & conſcientię integritate fretum, tum Dei clementia, atque miſericordia, quęuis pericula pro patriæ pugnando ſalute contemnere, atque deſpicere. Denique cùm ſubditi ſui non dubitent vitam ſuam, atque ſanguinem profundere, vel in diſcrimen offerre pro ipſo: ſe quoque viciſſim pro illis quæuis pericula ſubire paratū eſſe.

Regia quoque, & verè Chriſtiana virtus eſt, Patientia, quam Cic. rerum arduarum, & difficilium voluntariam perpeſſionem honeſtatis gratiâ, definit: quam idem fortitudinis comitem, Seneca, fortitudinis neruum, appellat. Hanc virtutem in ſacris literis mirum in modum nobis commendari, atque mandari nouimus. Deus autem Regem tuum innumeris caſibus aduerſis, & calamitatibus adhuc exercuit: quas ille patientiſſimo, æquiſſimóque animo adhuc pertulit, atque perpeſſus eſt. Obduruit itaque iam pridem, & quaſi callum obduxit hac virtute ad quaſuis difficultates, labores, dolores, iniurias, moleſtias, patienter, placidè, atque ſedatè perferendas. Mirifica eſt, & incredibilis eius frigoris, caloris, ſitis, inediæ, vigiliarum, atque laborum militarium patientia, quibus ab ineunte ætate aſſueuit. Regium eſt (vt ait Antiſthenes) malè audire, quum benefeceris. Hinc Epaminondas Thebanus, quem Cicero totius Græciæ principem appellat, æquo animo calumnias tuliſſe ſcribitur: aſſerens fortitudinis, ac magnanimitatis hoc eſſe munus: (quod tamen ſcitum di-

ctum alij Alexandro M. tribuunt. Eadem hæc & Octauij Augusti, & Vespasiani, & Titi eius filij (quem præ mansuetudine & facilitate delitias humani generis appellabant,) & C. Iulij Cæsaris fuisse dicitur, qui conuitia, opprobria, & calumnias quasuis patienter tolerasse feruntur, nec se iis passos fuisse ad vindictam, & vltionem irritari. Huius laudis, atque virtutis strenuus est imitator Rex tuus: qui benefactis studens strenue maledicta hominum, atque conuitia contemnit, nec se facilè ad iram, & crudelitatem prouocari patitur.

Regia prætereà virtus, quæ Regibus ac principibus maximo est ornamento, atque decori, ad Regna, & Respub. bene gerendas maximo subsidio, quæque cùm omnem hominem Christianum, tum Rectorem præcipuè Reipub. & Ecclesiæ decet, est constantia, quam M. Tullius stabilem esse dicit & perpetuam in ratione bene considerata permansionem. Nihil est, quod tam deceat, inquit Cicero, quàm in omni re gerenda, consilióque capiendo seruare constantiam, quam animi sanitatem idem vocat. Hac virtute olim claruit Cato: qui, vt idem ait, grauitatem suam perpetua constantia roborauit, sempérque in proposito, susceptóque consilio perseuerauit. Contrà verò inconstantia, mobilitate, & crebra sententiarum, tanquam tempestatum commutatione, vel in priuato homine, nedum in Rege, nihil est indignius, nihil impius. Stultus, inquit Sapiens, vt Luna mutatur. Vt enim leo collum dicitur habere inflexibile: ita

ita Regis voluntas debet esse firma, immobilis, constans in iis, quæ bona sunt: edicta eius, & decreta æquitati, & iustitiæ consentanea, sint immutabilia: qualia olim fuerunt Persarum, & Medorum. Hic dici non potest, quàm mira sit Regis tui constantia, animique firmitas, constans & perpetua est vitæ eius ratio, animo est forti, & constanti, ita vt non perturbetur in rebus asperis. Constans & perpetua est eius voluntas in patriam. At tantò admirabilior est Regis tui constantia, quò crebrior & frequentior est hodie multorum, qui se Christianos profitentur, inconstantia: cùm leuitate, tum etiam periurio implicata. Constantissimus est in promissis, & data fide seruanda, in consiliis, dictis, & factis, in omni ratione vitæ, in amore erga patriam, in pietate, & religione: ita vt Constantis, siue Constantij, & Constantini (quę fuerunt clariss. Impp. Rom. nomina) cognomen mereatur.

Regia præterea, & cùm omni homine Christiano, tum Rege imprimis (cuius symbolum fuit oleum, quo inungi olim Reges soliti) dignissima virtus est Liberalitas, seu munificentia: qua multi Reges, atque principes sibi fauorem, gratiam, atque gloriam æternam pepererunt. Artaxerxes dicere est solitus: magis Regium, ac Regię maiestati conuenientius esse dare & largiri, quàm auferre: & vestire potiùs, quàm denudare. In historiis, Cyri Regis Persarum, à Xenophonte præ cæteris virtutibus, liberalitas maximè celebratur: Titus Vespasiani filius teste Suetonio, dicere solitus est, illum

diem ſibi periiſſe, quo nullum in aliquem beneficium collocaſſet. Ludouici XI. Regis tui munificentia, in hiſtoriis valde laudatur. Sed non opus eſt antiqua proferre exempla. Rex tuus, huius quoque virtutis multa, iam dedit, & dat adhuc quotidie glorioſa documenta. Incredibilis enim eſt eius cùm erga quoſuis pauperes, inopes, tùm erga bene de ſe, de patria & Repub. meritos, benignitas, atque beneficentia. Itaque vt Valerius domum Agrigentini cuiuſdam, ſic nos illius aulam, atque domum Regiam munificentiæ officinam appellare poſſumus: quam etiam eò magis exercebit, quò Deus maiorem illi eius exponendæ facultatem dederit. Eius benignitatis illud maximo eſt argumento, quòd populum intolerabilibus iſtis tributis, atque vectigalibus liberare, vel certè alleuare conatur. Cùm plærique principes tributis intolerabilibus populo imponendis, acerbéque exigendis ſtudeant.

Regia virtus (quæ ſuperioris illius comes, vel germana quaſi ſoror appellari poteſt) eſt humanitas & facilitas, quæ in Rege omnium gratiſſima ad ineundam gratiam hominum beneuolentiámque conſeruandam aptiſſima eſt virtus. Nihil enim iis, qui alienæ ſunt poteſtati ſubiecti, gratius & iucundius eſſe poteſt, quàm quum intelligunt aures eius, qui regnat, eis patere, nec querelis eorum clauſas eſſe. Vnde facetus quidam inter iocandum dicere ſolebat: malle ſe cęcutienti, quàm ſurdaſtro domino inſeruire. Facilitas Philippi Macedonum Regis, multarum
ciuitatum

ciuitatum amicitiam ei conciliauit: adeò vt plures beneuolentia, quàm armis subegerit. Rex igitur promptus, & propensus esse debet ad audiendas suorum querelas: in quo si se difficilem præbet, illum necesse est in Dei hominúmque odium, ac offensionem, ac proinde maximum non Regni solum, sed etiam vitæ amittendæ periculum incurrere: vt Demetrij, Pausaniæ, & aliorum, qui ob id fuerunt interfecti, exempla docent. Regis palatium omnibus patere debet, ita vt sit miserorum & afflictorum tutissimus portus, atque perfugium. Atqui Regis tui quanta sit morum comitas, atque facilitas, quanta humanitas, satis dici non potest: ita vt qui dignitate Regibus, & principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur: nemo eius congressum, nemo sermonis facilitatem desiderauit: facillimi sunt ad illum aditus, eius aures patent omnibus. Maxima est eius sermonis affabilitas, in fronte, vultu, sermone, mirifica apparet, & elucet iucunda eius lenitas, morum dulcedo, & suauitas: ita vt quod de P. Scipione Aphricano Liuius prodidit, de illo quoque verissimè affirmari possit: Tanta, inquit, inerat comitas Scipioni, atque ad omnia naturalis ingenij dexteritas, vt non Syphacem modò barbarum, insuetúmque moribus Romanis, sed hostem etiam infestissimum, facundè alloquendo sibi conciliaret. Et tamen hæc eius comitas non est sine seueritate, neque grauitas sine facilitate: quo nomine Atticus à Cornelio Nepote laudatur.

Regia virtus humanitati, & facilitati affinis,

ſeu potius illius mater, ac planè Chriſtiana, eſt humilitas, vt vulgò appellatur: quæ eſt voluntaria ſui ipſius deſpicientia, animique ſummiſſio, & modeſtia: cui oppoſita eſt arrogantia, ſuperbia, inſolentia. Ad hanc virtutem (ταπεινοφροσύνην Græcis dictam) nos adhortatur Petrus, & ea præditos fauore ſuo Deum proſequi affirmat. Humilitatem, inquit, animi vobis infixam habete: proptereà quòd Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Huc facit illud Syrachi: Quò maior es, inquit, hoc te ſummiſſiùs geras. Deus in lege ſua Regi, diſertè præcipit, & mandat, vt ſit modeſtus & humilis: ne cor eius extollatur & efferatur ſuper fratres per ſuperbiam. Rectorem te poſuerunt, (inquit Sapiens) noli extolli: eſto in illis, ſicut vnus ex illis. Abominatur contrâ, inquit Salomo in Prouerbiis, Dominus omnes ſuperbos: Et ſuperbia deiicit homines, at humilis potietur gloria. Denique tota Sacra ſcriptura, ſiue Spir. S. per illã ad nullam ferè virtutem nos acrius adhortatur, quàm ad humilitatem: & à nullo vitio magis dehortatur, atque deterret quàm à ſuperbia, tanquam radice, atque ſemente omnium malorum. Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Chriſtus ipſe horum omnium princeps, & exemplis & pręceptis hanc virtutem maximè docuerũt. Eiuſdem virtutis multa ſigna, atque teſtimonia in Regis tui dictis, factis, geſtibus, totius vitæ conſuetudine cernere licet. Regem habes Dei gratia non elatum, ſuperbum, arrogantem, alios prę ſe contemnentem, ac deſpicientem: ſed ab ambitione, ſuperbia,

ſuperbia, & arrogantia planè alienum, in cuius ore,vultu,oratione,geſtu,inceſſu, veſtitu,moribus apparet, & elucet ſingularis humilitas, atq; modeſtia. Odit contra homines, vt auaros, ita ambitioſos, faſtu turgidos. Itaque Deus illum ſecundum ſua promiſſa ad maiorem dignitatem prouexit & prouehet, iuxta illud Iacobi:Humiles vos,inquit, reddite in conſpectu Domini: & eriget vos. Et illa Chriſti: Quicunque ſe effert, humiliabitur, & quiſquis de ſe ſummiſsè ſentit, extolletur: quibus congruunt illa virginis θεοτόκου & ἀειπαρθένου verba, quibus Deum humiles exaltare,& erigere,at potentes, nempe ſuperbos ſibique præfidentes, è ſoliis detrahere affirmat. Et illa Syracidis:Deus,inquit, omnibus temporibus ſuperbos ignominia,& dedeoore affecit,& tandem horribiliter euertit.

Regia,veréq; diuina, & Chriſtiana virtus eſt Clementia, & manſuetudo, qua nihil laudabilius,& generoſo animo dignius, nihil ad conciliandam auctoritatē,gratiam,& beneuolentiam efficacius.Hæc regum maximum decus & ornamentum eſt: quam Seneca Lib.2.de clem. temperantiam animi in poteſtate vlciſcendi, vel lenitatem ſuperioris aduerſus inferiorem in conſtituendis pœnis definit: quam idem ornamentum imperiorum ſimul, ac ſalutem certiſſimam vocat, qua principes non honeſtiores ſolùm,ſed etiam tutiores reddantur. Hæc quoniā Reges, & principes maximè decet, inde Clementiſſimi,& Sereniſſimi vulgò cognominantur: qui titulus Regibus Iſrael antiquitus fuit tributus, vt ſacræ

teſtatur hiſtoria.2.Reg.20.Nihil laudabilius,inquit Cicero, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate, & clementia: Clementia eſt moderari pœnas eorum, qui ſunt ſanabiles.His virtutibus excelluit C.Iulius Cæſar, cuius admirabilis fuit tum in pace,reíque pub. adminiſtratione, tum in bello, in victoriis, in vlciſcendis hoſtibus animi moderatio: qua vſque ad pœnitentiam omnes ſuperauit. Dauid ſingulare clementiæ exemplum fuit,qui à vindictæ cupiditate alienus grauiſſimas iniurias à Saule,à Semejo, ab Abſolomo, & aliis ſibi illatas patienter tulit. Verumtamen in Regibus manſuetudo grauitate & iuſtitia condienda eſt.

Eſt igitur rurſus, quòd gaudeas,ô Gallia,atq; læteris, quòd Regem tibi Deus dedit non crudelem,implacabilem, & inexorabilem: ſed Regem clementiſſimum,manſuetiſſimum,ad iniurias quaſuis grauiſſimas condonandas promptiorem, quàm alij ad inferendas. Vt Aſſuerus Rex ille Perſarum potentiſſimus ſceptrum aureum intendit ad Heſteram (quod erat clemētiæ ſignum:) Ita Rex tuus clemētiam ſuam porrigit,ac præbet omnibus ſuis hoſtibus.

Etſi verò propria hæc eſt genti Borboniæ & ingenita,ac inſita à natura virtus,ita vt non tam à dominio Borbonio,quàm à natura, morúmq; ſingulari puritate,atque Bonitate, illa verè Regia Ludouici IX.propago, atque ſoboles denominanda eſſe videatur: tamen tuus Rex in illa familia vti primogenituræ,ita etiam huius vir-
tutis

tutis nomine, palmam videtur possidere. Maxima enim eius est mansuetudo, incredibilis in summa potestate rerum omnium modus, atque moderatio, ita vt illa omnes in admirationem rapiat. A vindictæ enim & vltionis studio, cupiditatéque alienissimus, graues, multas, & atroces sibi illatas iniurias, communis concordiæ, & salutis gratia, voluntaria obliuione libenter contriuit, multis infestissimis suis hostibus pepercit, cuius rei illos ipsos testes appello. Et certè clementia, in ipsa ira, (quæ in Regibus vehemẽs esse solet,) & in victoria, (quæ insolens plærúmq; est, atque ferox) admirabilis meritò censeri debet. At hic tuus Rex, & iram suam, & ipsam victoriã, cuius maxima vis, adhuc ita vicit, vt plurimi, qui iustissima eius ira, atque victoriæ conditione, iure cecidissent, clemẽtia eius, atque lenitate incredibili fuerint conseruati: multi, qui ei inimicissimi fuerant, culpæ suæ liberationem, errati veniam impetrarint. Ita vt hac de causa inuictus meritò, seu inuictissimus dici mereatur, qui non homines tantùm, sed etiam iram suam, atque victoriam vicit, victis clementissimè parcẽdo, & ignoscendo. Dauidis strenuus est imitator. Nam quemadmodum ille Sauli socero suo, & aliis infensissimis, infestissimísq; suis hostibus: sic hic tuus Rex multis grauissimis suis hostibus, & inimicis, qui illũ capitali odio prosequuti sunt, qui eius vitam crudelissimè persecuti sunt, & infestarunt, clementissimè pepercit. An non rex tuus hac sua clementia, lenitate, mãsuetudine atque misericordia præcellente, viam

ſibi, aditúmque ad hunc dignitatis gradum patefecit, muniuit: an non hæ virtutes, ſatellitum & cuſtodum inſtar, illum adhuc cuſtodierunt aduerſus innumerabiles inſidias, an non gloriam illi, maximam pepererunt? Vt igitur Rex tuus fortis eſt ad reſiſtendum hoſtibus ſuis, qui eum oppugnarunt: ita iiſdem victis, atque ſupplicibus ad ignoſcendum eſt longè promptiſſimus. Ille iuxta Bruti dictum, acrius prohibenda bella ciuilia, quàm in ſuperatos iracundiam exercendam eſſe exiſtimat. Ita tamen clementiam, & manſuetudinem adhibet, iuxta M. Tullij præceptum, vt non negligat reipub. cauſa ſeueritatem ſalutarem qua vt idem ait, vincit inanem clementię ſpeciẽ, cùm nimia lenitas peccando licẽtiam pariat. Et veriſſimè aliquis dixit, eſſe quandam miſericordiam crudelem.

Regia præterea virtus eſt Charitas, cùm erga omnes homines (qui proximi nomine in ſacris literis ſæpè deſignantur) tum pręcipue erga ſubditos, quos Rex tanquam parens, atque paſtor bonus, ſummo amore, atque fauore proſequi, & illorum ſaluti atque commodis, omni ſtudio, & opera conſulere debet: Omnium charitates, inquit Cicero, patria vna complexa eſt. Rectè dictũ eſt à Platone, ortus noſtri partẽ ſibi patriam ipſam vẽdicare. Idem: Decet, inquit, chariorem eſſe patriam nobis, quàm noſmetipſos: &: Nullum eſt tantum periculum, quod ſapiens pro ſalute patriæ vitandum arbitretur. Hac de cauſa Reges olim, vt Ludouicus XII. & alij, patres patriæ fuerunt honoris & amoris cauſa à ſubditis

appellati

appellati. Talis profectò est amor Regis tui erga te atque patriam tuam flagrantissimus, quo incensus & inflammatus ipsa naturæ bonitate, nihil prætermittit, & adhuc prætermisit operæ, studij, curę, atque laboris, quod ad dignitatem, libertatem, & salutem tuam pertinere videtur. Non secus igitur, atque parens φιλόστοργος erga vos tanquam liberos suos piè est affectus, atque animatus: quos etiam verè liberos, veréq; Francos (quæ vox liberum sonat) efficere conatur.

Regium etiam imprimis munus est ciuium concordiam (quam M. Varro à cordium congruentia vult dictam, qua, vt Crispus Sallustius ait, paruæ res crescunt, vt discordiâ maximæ dilabuntur: quam Philosophi nonnulli vrbium dominam, & Reginam appellarunt: quam nos & chordam .i. vinculum validissimum, atque firmissimum: & coronam.i. ornamentum Rerumpub. non ineptè meo iudicio appellare possumus) omni studio sartam tectam tueri, & conseruare, & amissam reuocare. Nam, vt verissimè Polybius dixit, omnis Respub. conseruatur foris fortitudine in hostes, domi concordia. Ita Regi tuo nihil magis curæ est, atque cordi, quàm concordia vestra: nihil ille magis omni studio suo enititur, atque elaborat, quàm vt vos, qui discordes estis, concordissimos, vobísque inuicem amicissimos rursus reddat, nósque à tristibus, & funestis istis discordiis, atque dissensionibus ad veram, iucundam, & salutarem concordiã Thrasybuli & Aureliani Imperatoris exemplo tandem reuocet.

Regia quoque virtus eſt ſobrietas, cibi potúſque temperatia, iuxta illa Pro.31. Solomonis, Nolite Regibus dare vinum, ſcilicet immodicum: illud enim virus eſt ac venenum in priuatis, nedum in Regibus, ac Principibus, qui maieſtate poteſtatéque ſua freti, ſibi licere putant, quod animi libido ſuadet: ac vitiorum eſt & turpitudinis omnis fomentum. At tibi Dei beneficio Rex eſt cibi potúſque mirum in modum temperans, imò inedię, famis atque ſitis mirificè patiens.

Quum prætereà in Rege ad bene regnādum requiratur bene ſapientérque vel tacendi, vel loquendi ſcientia, atque prudentia: Rex hic tuus vtriuſque modum, optimè tenet. Deinde ſermo illius planè eſt Regius, hoc eſt verax, liber, grauis, Laconicus, breuis, argutus, acutus: adhæc feſtiuus, in familiaribus præſertim colloquiis. Plurimum enim delectatur iocis, atque facetiis non ſcurrilibus, & obſcænis, ſed liberalibus, & honeſtis, ab omnibus mendaciis, calumniis, maledictis, blaſphemiis, deierationibus, (quibus vel Dei, vel hominum nomen, atque fama læditur, ac violatur) toto pectore abhorret, & ipſe ab iis abſtinet, & omnes alios cùm exemplo ſuo, tum pœnarum grauitate deterret.

Regem prætereà ad bene & vtiliter regnandum aptum, & idoneum ſapientiſſimi quique cenſent, qui prius ipſe bene paruerit, & obedierit. Difficile enim eſt illum imperare, & alios regere, qui nullius vnquam imperium ſubiit. Nam obediendi, atq; obtemperandi ſtudium cùm regendi

gendi ſcientiam efficit, tum animo moderatur, quorum vtrunq; ad regnum bene adminiſtrandum eſt perneceſſarium. Hic verò tuus Rex, & parentibus,& pręceptoribus à pueris bene præcipientibus libenter paruit, atque obtemperauit. Præthereà hodie quoque omnibus bene monentibus,docentibus,ac conſulentibus,cùm politicis,tum Eccleſiaſticis de rebus morem gerere eſt paratus.Seruiuit adhuc Deo,ſeruiuit Chriſto,ſeruiuit Regibus,ſeruiuit patrię,ſeruiuit virtutibus, ſeruiuit legibus, quis ergo illum imperio cùm dignum, tum aptum eſſe non cenſebit?

Poſtremò ( vt huic Regiarum virtutum enumerationi finem imponam) Regum, ac Principum virtus ſingularis,munus,& officium præcipuum eſt, legum obſeruantia, atque obedientia: atque vt ſibi ipſi ſuis affectibus bene imperent. Legum diuinarum,& humanarum,quanta ſit in omni regno, Repub. ſocietate humana, ad eius conſeruationē vtilitas,imò neceſſitas,quid opus eſt multis verbis oſtēdere?Res ipſa loquitur,ipſa quotidiana teſtatur id ſatis ſupérque experiētia. Omnia inquit Cicero, noſtra cōmoda, iura, libertatem, ſalutem deniq; à legibus obtinemus: & idcircò à legibus non eſt recedendum. Indignum eſt, inquit idem, in ea ciuitate, quæ legibus teneatur: diſcedi à legibus. Hoc enim vinculum eſt huius dignitatis, qua fruimur in Repub. hoc fundamentum libertatis,hic fons æquitatis. Mens,& animus,& conſilium,& ſententia ciuitatis poſita eſt in legibus. Vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege ſuis partibus, vt ner-

uis,ac ſanguine, & membris vti non poteſt. Legum miniſtri magiſtratus:legum interpretes iudices:legum denique idcircò omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus. Itaque omnia legum pręſcripto,& imperio fieri debent. Quid quæſo his Cic. verbis pulchrius, elegantius, planius de legum vſu,& vtilitate dici poſſet,quibus ciuitatis, & Reipub.ſalutem in legum obſeruatione,eiuſdem exitium in earundem neglectione, ac violatione,conſiſtere ſatis manifeſtè docet?

Quæ cùm ita ſint,Reges (quorum curæ,atque fidei multarum ciuitatum,atque populorum ſalus à Deo commiſſa,atque concrédita eſt:) omni cura,& ſolicitudine leges,quæ rerũpub.columina ſunt, atque fulcra, ſartas,tectas tueri,& conſeruare, earúmque violationem grauiter punire debent.Ipſum Regis nomen illos huiuſce ſui officij admonet,quod à regendo deducitur,& inde regula atque rectum vt ante diximus. Eſt autem lex nihil aliud,quàm recti, & æqui regula, atque norma:ſiue recti,& honeſti præceptio, & praui, iniuſti, & inhoneſti prohibitio. Regis itaque,& Legis,ſiue vocum ipſarum, & ſoni ſimilitudinẽ, ſiue res vocibus ſubiectas ſpectes, maxima eſt cognatio, & affinitas:ita vt neque Rex ſine lege, nec lex ſine Rege conſiſtere poſſit. Et quemadmodum leges Regum, Principum, ac magiſtratuũ,ita viciſſim Reges,Principes,ac magiſtratus legum quaſi parentes, cuſtodes, & patroni ſunt habendi.Hinc Cicero verè, ſcitéque magiſtratũ quidem legem loquentem,legẽ verò magiſtratũ mutum appellat:Et Xenophõ magiſtratũ legem viuentem,

viuentem, atque videntem: Et Arist. principem νομοφύλακα .1. legum custodem vocat. Optimè autem facilliméque leges diuinas, & humanas, ac patrias præsertim, saluas & incolumes tuebitur, si non modò ipse subditos suos ad illarum religiosam obseruationem, atque obedientiam adiget, verùm etiam si earum obseruantia, & obedientia à seipso exordium duxerit, ipsemet prior eis sese subiecerit, iis obedientem se & obsequentem præbuerit. Non sine causa igitur Deus in explicatione officij Regij hoc Regibus potissimum præcipit, vt legem diuinam cordi, memoriæque suæ quasi inscriptam semper & insculptam teneant, illam semper ante mentis oculos sibi proponant, illam dies, noctésque meditentur, eius cùm intelligendæ, tum præstandæ facultatem à Deo petant, ad illam ccu regulam rectam, atque perfectam omnia consilia, & actiones suas dirigant: id enim pertinere cùm ad Dei præpotẽtis illius Regis Regum & Domini Dominorum gloriam, quam omnibus mundi huius Regnis, atque imperiis longè anteponere debẽt: tum & ad ipsummet, & ad subditorum, totiúsque populi illorum tutelæ à Deo commendati salutem. Regnum autem Galliæ optimis, & salutaribus legibus constitutum, ac fundatũ est, quarum custodiæ, & obseruationi religiosæ diuturnus ac florentissimus eius status ascribi, acceptúsque referri debet. Reges enim tui legum Regiarum, & patriarum fideles fuerunt custodes, omnémque dederunt operam, vt illæ non essent tanquam gladius in vagina recondi-

tus, ſed vt executioni mandarentur. Regum autem munus eſſe legibus parere, atque obtemperare, atque ita ſuo exemplo, cuius maxima eſt vis, atque pondus, alios quoque ad legibus obſequendum inuitare, & allicere, cùm ſacræ ſcripturę auctoritate (de qua paulò ante dictum eſt) tum ſapientiſſimorum quorumque teſtimonio, & ratione ipſa facillimè comprobatur. Plutarchus in magnifico, verèque philoſophico Periãdri principis Corinthij epulo (ad quod multi celeberrimi totius Gręcię Sapientes inuitati fuerant) cùm ſinguli ex ordine ſentẽtias ſuas de optimo principis, & Reipub. ſtatu, expoſuiſſent, Biantẽ Priæneum ſecundo loco dixiſſe refert, illum ſibi clarum, glorioſúmque principem videri, qui ſeipſum patriarum legum imperio ſubiiciat. Mandane Cyri Regis Perſarum mater apud Xenophontem, Regibus, inquit, non libido, ſed leges dominentur. Plinius Secundus, Traianum hoc nomine laudat, quòd conſule ſedente, & iuramentum præbente iurauerit, ſe legibus pariturum, cuius verba hæc ſunt: Ingens gloria tua Cæſar, inquit, ipſe te legibus ſubiecisti, quas nemo principi ſcripſit, ſed tu tibi nihil amplius vis licere, quàm nobis: ſic fit vt nos plus tibi velimus. Non eſt princeps ſupra leges, ſed contrà, leges ſupra principem. Idem Cæſari, & Conſuli, quod cęteris non licet, &c. Vnde & abiturus magiſtratu iuratur nihil contra leges factum. Magnum quod iurando promitteres, maius poſtquam promiſiſti. Pacatius Theodoſio: Tantum, inquit, tibi licet, quantum per leges licebit. Ius

ſummum

summum facultate & copia commodandi, non securitate peccandi experieirs. Cæsari, inquit Seneca, cùm omnia licent, propter hoc minùs licet. Principis vita censura est, inquit Plinius Secundus, eáque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur. Nec tam imperio, quàm exemplo opus. Vnde Claudianus: Honorium institutum ait: Regis ad exemplum, neq; sic componere sensus, Humanos edicta valent, quàm vita regẽtis Componitur. Huc facit illa principum Rom. sententia, quæ extat in iure ciuili: L. digna vox. C. de Leg. Dignam maiestate Regnantis vocem, legibus se alligatum fateri principem. Hac de causa doctissimi, sapientissimíque viri hoc inter Regem, atque tyrannum discrimen statuunt, quòd tyranni imperium legibus sit solutum, & infinitum, Regum autem officium legibus, & æquitate sit definitum. Vnde Theodosius Imp. hoc ipso longè se à tyranni moribus abesse declarauit, quòd se legibus professus est alligatum esse. Plato in Epist. 8. ad Dionis propinquos docet illam Rempub. & Regnum florere, in quo νόμος κύριος ἐστὶ βασιλεὺς τῶν ἀνθρώπων, ἀλλ' οὐκ ἄνθρωποι τυράννοι νόμων. i. vbi lex Regium, merúmque in homines imperium obtinet, non verò homines legum tyranni extiterunt. Hoc itaque dat consilium tyrannidem affectantibus, vt imaginariam, & ementitam huiusmodi potestatem fugiãt, & oderint, & in Regiam dignitatem commutent, vt Regiis legibus seruiant, & obtemperent; maximos honores à voluntariis hominibus, & ipsis legibus haud dubiè reportatu-

ri. θεὸς ἀνθρώποις σώφροσι, νόμος: ἄφροσι δὲ, ἡδονή. Ibidem vult, Regiam potestatem esse ὑπεύθυνον & legibus subiectam, ita vt leges dominentur, non modò aliis, sed ipsis Regibus, si quid παράνομοι, i. præter ipsas egerint. Detestanda igitur est illa magorum Persicorum sententia, qui Cambysis Regis sui turpissimum incestum cum sorore approbandi gratia, illum à patriis quidem legibus alienum nō esse dixerunt, sed aliam esse Regiam legē qua Regi licet, quicquid libido suadet. Non hæc lex Regia, sed tyrannica, immò diabolica est appellāda, ac ne legis quidem nomine digna, sed potius omniū legum euersio dicenda est. Sic Iulia impurissima Caracalli nouerca dixisse fertur, principibus omnia licere, eorúmq; voluntatē, & libidinem pro legibus esse. vt Spart. in Carac. refert. Idē sensit Thrasymachus Chalcedonius, qui principum vtilitate, atque libidine ius omne definiebat, ac iustitiam in eo sitam esse dicebat, vt subditi principum iussis, siue iusta illa essent, siue iniusta, obtemperarent. Quando item Cæsarem Octauianum olim senatus Rom. decreuit legibus esse solutum: an non eo ipso demonstrauit afflictam esse Rempub. oppressam esse libertatem, illum esse tyrannum? Non igitur iurisconsulti, sed iuris potius corruptores, perniciosissimíque assentatores illi existimandi sunt, qui Regibus, principibus, ac magistratibus persuadere conantur, id quod sibi facillimè persuaderi patiuntur, illos legibus esse solutos, ac illis nequaquam teneri alligatos, & astrictos: illos esse supra leges, voluntatem illis esse pro lege, atque

ratione, illis licere quicquid libet, illos leges quasuis perrumpendi habere potestatem, legibus non parere debere, sed imperare: illos legibus longè esse superiores, legúmque non seruos, & ministros, sed dominos esse: cùm contrà Cicero ideò nos legum seruos esse dicat, vt liberi esse possimus. Euellendæ sunt ex animis hominum impiæ, & pestiferæ istæ opiniones, seu potius errores exitiales. Verè filij Belial dicuntur illi, qui ἄνομοι & ἀνυπεύθυνοι .i. exleges, ab omni obseruatione immunes esse volunt, quique legum suauissimum, saluberrimúmque iugum, & imperium excutere conantur, qui suarum libidinum, atque cupiditatum, diaboli denique mancipia, quàm legum, iuris, æquitatis, honestatísque serui esse malunt. Diaboli vinculis malunt esse astricti, quam legis diuino vinculo, vel, quàm Dei, iuris, atque legum, dum sibi quiduis pro arbitrio seu libidine potius sua, & dicendi, & agendi licentiam infinitam arrogant.

Non imminuitur, & obscuratur hac legum obseruantia illorum maiestas, & dignitas, vt nõnulli opinantur, seu potius somniant: sed augetur, & amplificatur, nec seruitus hæc est existimanda, sed potius pulcherrima libertas. In hanc sententiam sic sapienter Claudius Sesellius, De repub. Galliæ lib. I. Regis Ludouici XI. quõdam consiliarius disserit. Legibus Regum auctoritas temperatur: quod ad ipsorũ laudem in primis pertinet &c. Deinde Rex legibus parendo hoc suo exemplo, non secus ac magnes ferrum vniuersum populum ad iisdem obtemperãdum,

vel ad easdem sanctè, religioséque colendas, & obseruandas attrahit,& impellit. Contrà,quando ipse leges contemnit, simul toti populo easdem contemnendi maximam occasionẽ prębet.

Longior aliquantò fui hac in parte,propterea quòd multi hodie in Orbe Christiano nefaria hac opinione sunt imbuti,multique adulatores, (qui vt Q. Curtius rectè dixit, plures Regum opes euertunt,quàm aperti hostes)gratię illorum aucupandæ gratia hoc principibus viris persuadere conantur,quod est falsissimum, & cùm illis ipsis,tum vniuersis populis,quibus præsunt,perniciosissimum. Qui adulatores quia volunt omnia posse, idcirco hoc principibus inculcant, non vt illorum sed vt suam auctoritatem stabiliant. At Regis tui longè alia est mens, alia sententia, qui quidem à primis annis legibus,æquitati,honestatíque parere,& seruire didicit.Idem hodie quoque legem diuinã semper intuetur ac contemplatur, ad illam vitam moresque suos componit,omnia dicta, facta, & consilia sua dirigit.Leges patrias antiquorum illorum regum, Imperatorum, atque principum exemplo conseruare studet: cúmque illarum beneficio ad hãc dignitatem sit euectus , libenter illis se subiicit, illis paret, & obtemperat. Non opibus, satellitio, potestatéque sua fretus quiduis, quod libet, sibi licere existimat, sed legibus se esse subiectum,& ex earum præscripto regnandum esse existimat.Discant ergo omnes Reges, Principes, & magistratus, Regis tui exemplo legibus parere,illas non contemnere,violare,sed diligenter,

fideli-

fideliterque obseruare, iuri, æquitatique seruire si dignitati, atque saluti suæ benè volunt esse cō-sultum.

Et hæc quidem sint dicta de Regis tui virtutibus, quæ quidem tot, ac tantæ sunt: vt à nemine vel eloquentissimo de illis satis dici posse videatur. Harum autem virtutum, te te, inquam, ô Gallia, rursus testē appello, iis frueris quotidie, maiora illarum in dies & documenta cernis, & emolumenta atque commoda percipis. Videtur profectò Deus omnes omnino maiorum & prędecessorum eius virtutes (vnde Sācti, Pij, Adeodati, Patrem patriæ, Sapientes, Animosi, Pulchri, Magni, Serenissimi, Christianissimi, fuerūt cognominati) in hūc tuum Regem vnicum congessisse: ad miserum, afflictúmque tuum statum instaurandum. Vnde verè, ac meritò Sapiens, Sanctus, Pius, Animosus, Pulcher, Magnus, Pater patriæ, Serenissimus, & Christianissimus Rex appellari debet. Nec verò tu tantùm, sed etiam Italia, Hispania, Germania, Anglia, Scotia, Polonia, totus denique Orbis Christianus harū illius virtutum præstantiss. testis est: testes earum sunt tam hostes eius, quàm amici: quæ ita claræ sunt, ac manifestæ, vt nemo eas inficiari possit. Quid dicam quòd illarum fama in Oriētem vsque penetrauit, tantus est illarum splendor, & magnitudo? Hę verò illius virtutes verè Regiæ, veréq; Christianæ (quæ sunt Sancti Spiritus dona atque munera) illum non solùm Regem, sed etiam Christianissimū Regem esse demonstrāt.

Atque his quidem illius virtutibus planè cō-

ueniunt, atque respondent egregia illa cùm regni Nauarreni, tum Francici (cuius vtriúsque nunc est dominus) insignia. Nauarreni enim insignia sunt Cathenæ, & Smaragdus: quæ à Sãctio prisco illo Rege Nauarræ 30. regum barbarorum victore, ac domitore profecta sunt. Nam cùm, vt literis memoriæque proditum est, 30. olim barbari Reges, duce atque imperatore Smaragdo Castelliæ regnum occupassent, & grauissimo Christianis iniecto metu, breui tota se Hispania potituros esse confiderent, Sanctius Nauarrorũ Rex, collecto statim forti magis, quàm numeroso exercitu, aduersus eos profectus est. Excogitauerant autẽ barbari cùm alià multa ad prohibẽdas Christianorũ incursiones aptissima, tum cathenas quasdã ferreas, quibus ita vias quasdã occluserãt, vt equitatui, quo valebãt plurimũ, omnis adẽpta spes faciendę in hostem irruptionis videretur. At Sãctius cum suis Sancti Sp. ductu, & impulsu, per medios hostes, atq; Cathenas illas ferreas, sibi, & suis ferro viã faciens, tandem hostes vicit, atque fugauit, duce illorum Smaragdo sua manu obtruncato. Ad conseruandam ergo tam nobilis victoriæ memoriam, simúlque ad inflammandos suorum successorum animos similis virtutis, ac laudis amore, & ipse posteà cathenas pro insignibus gestauit, & instituit vt iisdẽ insignibus cæteri post se Reges vterentur. At quoniam eo in prælio barbarorum illorum imperatorẽ sua manu interfecerat: eiusdem nominis gemmam, medio catenarum illarũ complexu contineri voluit. Hæc verò insignia huic quoque

quoque tuo Regi Nauarrę ob insignes illius virtutes atque victorias pulchrè conueniunt. Nam Cathenæ illæ Smaragdo distinctæ & insignes, eius & laborum, dolorum, atque periculorum plurimorum, quibus quasi cathenis quibusdam ferreis fuit constrictus, & eius victoriarum, quibus Dei ope illa omnia superauit, & denique eius virtutum, atque factorum, quæ omnibus totius mūdi smaragdis, gemmis, & cathenis aureis, longè pretiosiora sunt & splēdidiora signa, atq; symbola clarissima.

Sic Gallici quoque Regni hodierna insignia, quæ sunt tria lilia aurea, non à Clodouæo sed Carolo VI. Francorum Rege profecta, vt Tillius annotauit, in suo breuiario rerum Frāc. eandem ob causam ei probè congruunt. Nam lilium, flos candidissimus, aspectúque iucundissimus, cuius est odor fragrantissimus, atq; suauissimus, cùm virtutis, tum laudis, atque glorię est symbolum. Lilia ergo hæc Regis tui nobilitatem, integritatem, fœlicitatem, famam denique, & gloriam florentissimam significant. Sed verba præterea illa S. Bernardi in illud Canticorum. 2. *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* à Rege tuo diligenter considerari velim: quę quidem Regi tuo, & præsenti eius totiúsque Regni statui, atque temporibus valde accommodata, animaduersione sunt dignissima. Spina, inquit, culpa est, Spina pœna est, Spina falsus frater, Spina vicinus est malus. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. O candens lilium, ô tener, & delicate flos, increduli, & subuersores sunt te-

cum, vide quomodo cautè ambules inter ſpinas. Plenus eſt mundus ſpinis. In terra ſunt, in aëre ſunt, in carne tua ſunt. Verſari in his, & minimè lædi, diuinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ. Sed confidite, inquit, Ioan. 16. quia ego vici mundum. Etſi igitur vndique tibi intendi proſpicias tribulationum, tanquam tribulorum aculeos, non turbetur cor tuum, neque formidet, ſciens quia tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio autem ſpem, ſpes autem non confundit. Rom. 5. Cōſidera lilia agri, quomodo inter ſpinas vigent. Si fœnum, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, cuſtodit, quantò magis amicam, & ſpōſam ſuam chariſſimam? Deniq; cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe. Pſal. 144. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Non mediocris titulus profectò virtutis inter prauos viuere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem, & morum lenitatem, magis autem ſi his, qui oderunt pacem, pacificum, & amicum ipſis te exhibeas inimicis. Id planè tibi ſimilitudinem datam de lilio iure quodam proprietatis ſpecialiter vendicabit, quòd ipſas vtique pungentes ſe ſpinas candore proprio illuſtrare, & venuſtare non ceſſat. An non perinde lilium tibi videtur implere quodammodo Euangelij perfectionem, qua orare iubemur pro calumniantibus, & perſequentibus nos, benefacere his, qui oderunt nos? Luc. 6. & Matth. 5. Ergo & tu fac ſimiliter, & erit anima tua amica domini, & laudabit te, de te dicens: Quia ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica

mea

meæ inter filias. Hæc ſcitè & eleganter Bernardus.

Scimus prętereà Regiæ dignitatis inſignia eſſe Coronas, diademata, ſceptra, purpuras, gladios, thronum, quę eadem ſunt virtutis, rerúmq; cum virtute & laude geſtarum præmia.

Verum quis neſcit in externis his ornamentis, & inſignibus nequaquam regiam dignitatem cõſiſtere, ſed in iure, atque in virtutibus, ſine quibus externa illa dedecori potius ſunt Regibus, quàm decori, ac ſordent omnino. Illa vmbris, hæc corpori ſunt comparanda. Regem itaque facit nõ corona, aut diadema aureum, gemmis & margaritis refulgens, ſed partim iuſta legitimáque electio, ſiue ſucceſſio, partim virtus. Coronæ enim vel ex herbis, graminibus, floribus, vel ex metallis, vt auro, argento, gemmis, lapidibus pretioſis, vel ex panno confectæ, antiquiſſima, & communi omnium gentium conſuetudine virtutum, rerum præclarè geſtarum, præſertim pro patria, meritorum de patria, & victoriarum fuerunt inſignia, atque ſymbola. Itaque Regi tuo, propter egregias eius virtutes, res geſtas, victorias, cùm, vt eſt in prouerbio, ad Corollas vſque denotant, merita in patriam, etiam ſi ille nec ex Regio eſſet genere, nec regni ſucceſſio ad illum pertineret, non vna, ſed multę coronæ, triũphales, obſidionales, ciuicæ, murales, caſtrenſes, ouales, nauales, optimóque iure eſſent imponendæ. Caput illius atque pectus multis præſtantiſſimis virtutibus, quaſi coronatum eſt, atque ornatum, quę quidẽ, vt vera regni

benè administrandi organa, adiumenta, atque præsidia, omnibus vel pretiosissimis huius mundi coronis longè sunt anteponendæ. Lex est regia, vt qui regni hæres annum ætatis XIV. impleuisset, ei Corona imponeretur, obsequij, & fidelitatis & fidelitatum iuramenta præstarētur, auctore Fossardo Vol. 2. c.60. Bucheto lib.4. Et tamen Reges Franciæ possunt etiam ante Coronationem administrare, priuilegia & rescripta dare. Nam quoad potestatem, & auctoritatem gubernandi regnum, Timor Domini, inquit Syracides, est honor, & gloria, & gaudium, & corona pretiosa. Timor domini, inquit idem, est corona sapientiæ. Hac corona, id est timore Dei, Rex tuus excellit, & ornatus est. Coronatio nihil addit, nec sacra vnctio, vt decidit Præpositus in c. per venerabilem. quod autem. qui fil. sint legitimi.

Quæ autem Coronarum, eadem monilium, vestium, sceptri, solij, siue throni regalis, satellitij denique est ratio. Vera enim monilia, atque monumenta, vestes, sceptra, throni, satellitia regia, sunt virtutes, quæ vera sunt Regū, atque regnorum cùm ornamenta, tum firmamenta, atque præsidia.

Quòd ad vnctionem denique attinet, in veteri Testamento scimus, & Sacerdotes, & Reges vnctione, & vnguentis consecrari, & inaugurari fuisse solitos, quæ vnctiones, cùm Spiritus S. & eius donorū, tum officij Regij, atq; muneris, tum denique Christi summi sacerdotis, atque Regis figuræ fuerunt, atque notæ. vnde Aug. lib. quæst.

114.

114. qui in Reges vngebãtur olim Chriſti vocabantur, habentes imaginẽ Chriſti. Modum autẽ regiæ vnctionis Rabbini veteres hunc fuiſſe tradunt, quòd in fronte deliniebatur figura, ſpecie coronæ. Et quoniam ex quibuſdam ſacræ ſcripturæ locis conſtat, oleum ſuper caput eius, qui inaugurabatur, effuſum fuiſſe, vt ſuam traditionem tueantur, volunt primum delineatam fuiſſe coronam, poſtea oleum ſuper caput effuſum. Hæc verò Reges inungendi conſuetudo, tãdem cum multis aliis ceremoniis in eccleſiam noui teſtamenti introducta fuit, licet aliquanto ſeriùs. Vnctione enim epiſcopali eccleſia Græca, & orientalis, vltra annos 120. caruit, vt docent hiſtoriarum periti. Priores Reges & Imperatores Chriſtianos nuſquam legimus vnctos fuiſſe. Sed nolo hîc de Vnctione hac multis diſputare, quam nonnulli mirantur & dolent à Iudæorum ceremoniis ad Reges, & Imperatores, Chriſtianos traductam fuiſſe. Nonnulli quidem rem politicam eſſe putant, ac ideò vſurpari poſſe: Sed quum illa fiat per Cardinales, atque epiſcopos, inde probatur, pro re, ſeu ceremonia religioſa, ab iis qui eam vſurpant, haberi. Leonem primum, Martiani ſucceſſorem legimus coronatum à Patriarcha Conſtantinopolitano, nec tamen vnctum. Quando verò primùm inſtituta fuerit vnctio in orbe Chriſtiano non planè conſtat, ſed hiſtoriarum periti rem exiſtimant eſſe nouam. Nolo etiam hic de oleo S. Remigij multis diſputare, quod nonnullis videtur eſſe fabula. vt & illa quæ de cuiuſdam Ampullæ mira-

culo circũferuntur. Quicquid ſit, illud certè constat, pleriſque principibus iiſdémque verè Christianis ſatis eſſe ſi vngantur interna vnctione Spiritus S. & gratiæ. Quòd ſi illo ipſo tempore, quo huiuſmodi vnctioni locus fuit, Moyſes, & alij etiam ſine vnctione externa, iuſti legitimique potuerunt eſſe principes, inde conſtat externam hanc vnctionem Regum, ex Iudaica Synagoga Vet. teſt. in Eccleſiam Chriſtianam quaſi poſtliminio introductam, ad Regiam dignitatem nõ requiri, vnde multi olim Reges, & principes Chriſtiani, etiam in tuo Regno, illa caruerunt.

Cùm igitur Rex tuus, iuſto, legitimóque modo ad Regni tui poſſeſſionem, & adminiſtrationem peruenit, oleo.i.ſpiritu pietatis, ſanctitatis, fidei, atq; religionis: item oleo.i.ſpiritu conſilij, ſapientię, atque prudentię: oleóque ſiue ſpiritu fortitudinis, patientiæ, atque conſtantiæ, & oleo humanitatis, benignitatis, ac manſuetudinis, quis quæſo illum non verum Regem, non verè vnctum, ſeu vnctiſſimum (vt ita loquar).i. Chriſtianum ſeu Chriſtianiſſimum potius duxerit? Nam vera vnctionis olea & vnguenta, ſiue vt Gręci loquuntur, chriſmata ſunt Sancti Spiritus chariſmata, .i. dona, quæ omnibus vel fragrantiſſimis oleis, & vnguentis longè ſunt anteponenda. Hæc autem Regi tuo ineſſe nemo eſt tam inſigniter impudens, qui negare poſſit. Atque hæ quidem virtutes, quarum ab ineunte ætatę ad hoc vſque tempus in pace, & in bello, in rebus ſecundis, & aduerſis, multa documẽta dedit,

dit,quarum fama totum orbem peruagatur,quę omnium gentium ore, sermone, linguis,atq; literis celebrãtur, tibi aculei debent atque stimuli esse, ad hunc tuum Regem magno amore complectendum, eique obediendum. Quis igitur erit ex vobis tam oblitus beneficij diuini, tam immemor patriæ, tam inimicus dignitati suæ, quem non excitet, non inflammet tanti Regis tam præclara, & eximia virtus? Nam si virtutis tanta est vis, vt illa etiam in alieno, in peregrino, atque adeò in hoste, & inimico nostro spectata nos summopere delectet, & ad illum amandum alliciat,quantò magis præclaræ,& eximiæ hæ naturalis, & legitimi tui Regis, seu patris potius,atque pastoris virtutes,quę ad Regni patriæque tuæ dignitatem, atque salutem spectant,te ad illum syncerè,& ardenter amandum, atque colendum incitare, & impellere debent? Hę enim virtutes à Deo illarum fonte,& auctore,& ad imitandum in Rege proponuntur,& ad illum, cui illæ insunt, tot tantisque Sancti Spiritus muneribus cumulatum, & ornatum,amandum,ac reuerendum.

Magna postremò est ac omnino Regia Regis tui virtus,Fœlicitas, quam eleganter Cic.honestarum rerum prosperitatem, & fortunam,consiliorum bonorum adiutricem vocat. Quis igitur quæso similiter dubitet huic tuo Regi Regna,& imperia, omnésque Regni opes, & exercitus committere, cuius adhuc in re militari summa, & admirabilis extitit fœlicitas, qui in grauissimis casibus,atque periculis vincendis, &

ſuperandis, admirabili, incredibiliſque vſus eſt fœlicitate, qua tamen ille nequaquam inſoleſcit, ſed ſoli Deo pro pietate ſua acceptam refert, memor Græci illius prouerbij, θεῦ δ' ἐ δῶρον ἐϛὶν εὐτυχεῖν βροτοῖς: Fœlicitas eſt virtus à ſummo Deo. Cùm igitur tanta ſit Regis tui & auctoritas, & fœlicitas, vnde illum conſtat Deo eſſe cariſſimum, tu quoque meritò illum eandem ob cauſam cariſſimum, magnóque in pretio, & honore habere debes.

His porrò tam præclaris & ſplendidis virtutibus, rebúſque geſtis maximam ſibi, & clariſſimam nominis famam, atque gloriam, exiſtimationem, gratiam, auctoritatem denique non apud domeſticos ſolùm, atque ſubditos, verùm etiam exteros, atque peregrinos peperit. Auctoritatem Cic. ſenectutis apicem vocat, multò veriùs nos illam virtutis apicem appellare poſſumus. Illam in Imperatore requiri, & in bellis præſertim adminiſtrandis, & imperio militari plurimum valere Pompei exemplo idem auctor, & orator grauiſſimus probat. Vehementer enim inquit, pertinet ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocij de imperatore exiſtimēt. Hanc quoque comparari, & augeri diſciplinæ ſeueritate Vegetius rei militaris ſcriptor optimus docet. Maximam autem, & grauiſſimam Regis tui auctoritatem res ipſa, & experientia quotidiana ſatis ſupérq; teſtatur, quam illi cùm præcipuè Deus ipſe, tum inſignes eius virtutes, fortia facta, ſeuera diſciplina conciliarunt, augéntque quotidie. Itaque non tam imperio, quàm

quàm auctoritate ipsa, nutúque regerę cuncta videtur, & administrare & amicis quidem atque sociis animum addere, hostibus autē, atque inimicis adimere, & metum, atque terrorem iniicere.

Quoniam igitur, ô Gallia, & Deus, & natura, & patria tua, lex, ius diuinum, & humanum, talem tibi Regem dedit, quo (si tibi ex omnibus orbis Christiani partibus alium eligendi daretur optio, & facultas) meliorem, præstantiorem, tibi vtiliorem, ac salutariorem, hac denique Regia maiestate digniorem ne optare quidem posses: tuę profectò erit pietatis, & Religionis, tuę prudentiæ, tuæ charitatis, tui muneris, & officij, & Deo Regi Regum pro tanto hoc eius beneficio ingentes & assiduas agere & habere gratias. Et Regem hunc tuum, tanquam Dei donum, atq; munus, Dei vicarium, Dei imaginem, Dei ministrum, tanquam patrem, pastorémque fidelissimum amplecti, colere, eius dictis, & edictis, & imperio, non tantùm Regio, sed etiam paterno, libentissimè parêre. Noli quæso, per Deum immortalem, hoc eius imperium iustum, legitimum, ac diuinum, duro ingratóque animo repudiare, & aspernari. Reputa etiam atque etiam animo tuo grauissimam illam S. Pauli admonitionem. *Omnis* (inquit Apostolus Rom. 13.) *anima potestatibus supereminentibus subdita esto. Non enim est potestas nisi à Deo, quę verò sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaque quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem restiterint, sibi ipsis iudicium accipient. Nam princi-*

*pes non terrori sunt bene agentibus , sed malè. Vis autem non timere potestatem, quod bonum est facito, & feres laudem ab illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Quod si feceris id quod malum est, time. Non enim frustrà gladium gestat. Nam Dei minister est, vltor ad iram ei qui quod malum est fecerit. Quapropter oportet esse subditos non solùm propter iram, verùm etiam propter conscientiam Propter hoc enim & vectigalia soluitis. Siquidem ministri Dei sunt, in hoc ipsum incumbentes. Reddite igitur omnibus, quod debetur: cui tributum tributum , cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem.* Petrus similiter. 1.Pet.2. *Estote subditi omni creaturæ seu ordinationi humanæ, propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis.* Paulus , Tit. 2. *Admonete illos principibus, & potestatibus subditos esse.* Ergo vel sola ipsius Dei voluntas, cui refragari vllo modo , ac reluctari graue est scelus, atrox facinus, summum periculum, te ad iustum hunc legitimúmq; tuum Regem syncerè amandum, atque colendum, & ad ei parendum potius, quàm resistendum incitare meritò, atque impellere debet. Cogita quàm durum sit, ac perniciosum, contra stimulum calcitrare, ( vt communi fertur Prouerbio) hoc est, Deo ipsi repugnare, & aduersari velle. Atqui omnes illi, qui iustis legitimísque Regibus, principibus, ac magistratibus pertinaciter obstinatéque sese opponunt, iísque resistunt, illi diuinæ reluctantur constitutioni, ac gigantum more, Deo ipsi, cuius infinita est potestas, horrenda ira, ac vindicta, bellum quasi indicunt,

dicunt, ac inferunt.

Quòd ſi autem iuxta Chriſti, Prophetarum, Apoſtolorum, martyrum, apoſtolicæ, & primitiuæ Eccleſiæ monita, præcepta, & exempla, dominis, Regibus, Imperatoribus, principibus, ac magiſtratibus, etiam Ethnicis, barbaris, à Chriſtiana religione alieniſſimis, (qui virgæ ſunt atq; flagella iræ diuinæ) propter Deum in omnibus iis, quæ diuinæ voluntati, noſtræque conſcientiæ non repugnant, obtemperare, iis omnia officia, & obſequia præſtare, tributa, & vectigalia quantumuis grauia, pendere, pro illorum ſalute Deum aſſiduè deprecari, iis bene velle, bene ominari, atque precari debemus: quantò magis te decet, ô Gallia, hunc tuum Regem tam pium, tam religioſum, tam prudentem, tam magnanimum, tam bellicoſum, tam clementem, benignum, ac proinde Chriſtianiſſimi titulo digniſſimum, ſingulari amore complecti, omnem illi iuſtam debitámque reuerentiam, & obedientiam exhibere? Quòd ſi etiam externis, & peregrinis Regibus, qui iuſta, legitimáque vocatione, electione, atque ſuffragiis regnum fuerint adepti, eſt parendum, vt Polonorum, & aliarum gentium exemplis comprobari poſſet: quantæ infamiæ, atque furoris fuerit, Regi huic tuo natiuo, genuino, ex tuis inteſtinis, atque viſceribus procreato, parere nolle? Propone tibi ante oculos totam illam antiquiſſimam, ampliſſimam, nobiliſſimam, florentiſſimámq; familiam Borboniam, verè Regiã, & nomine, & re ipſa, atque natura bonam, benignam, humanam, ad quam

diuino & naturali iure Regni huius hæreditas, atq; possessio pertinet, in quam grauissimè peccabis, ac proinde vindicem, & vltricem experieris acerrimam omnium iniuriarum, quibus hunc tuum Regem, illius nunc familiæ principem, atque caput, affeceris. Propone tibi omnes illius agnatos, cognatos, propinquos, consanguineos, affines, amicos probos, & fideles, maximę dignitatis, potestatísque viros, quos omnes irritabis, & ad grauissimam iustissimámq; vltionem prouocabis, ex amicissimis inimicissimos & infestissimos reddes, si hunc iustum legitimúmque tuum Regem vel dictis, vel factis violare perrexeris. Quòd si etiam vitiosissimis Regibus, omni ferè vitiorum genere oppletis, omníque virtute vacuis, est parendum: qua conscientia tu Regi huic tuo, vel ipso hostium consensu omni virtutum genere commendatissimo, & ornatissimo, iustam debitámque obedientiam detrectabis? Virtutis tanta vis est, vt illa non solùm in peregrinis, verùm etiam in inimicis nostris atque hostibus cognita, atque perspecta delectet, nósque ad illos amandos pelliciat, & inuitet: Te verò Regis tui naturalis virtutes tam præclaræ, & eximiæ, quæ etiam peregrinis, & externis, imò aduersariis sunt admirationi, ad illum tibi amicissimum, tui amantissimum, redamandum, eiq; obtemperandum, flectere & commouere non poterunt. Quòd si Reges, Imperatores, populi externi, cuiuscumque illi sint religionis, hunc tuum Regem ob præclaras & eximias eius virtutes amant, admirantur, suspiciunt, & cùm ei,

tum

tum tibi ipſi gratulantur: cogita quæſo quàm ab omni non ſolùm Chriſtiana, ſed humana quoq; ratione, ſenſúque alienum ſit futurum, ſi tu hoc diuinum in te beneficium non agnoſcas, & aduerſus hunc naturalem tuum Regem rebellis, & contumax, eſſe perrexeris. Ergo vel externorum Regum, principum, magiſtratuum, populorum (inter quos ego quoque imprimis numerari volo) erga hunc tuum Regem amor, beneuolentia, obſeruantia, lætitia, gratulatio te multò magis eiuſdem amore ac beneuolentia accendere, & inflammare debet.

Inter omnes virtutes, ſiue omnia ea, quæ Regni, ac Reipub. alicuius ſtatum continent, atque conſeruãt, nihil eſt firmius, validius, & efficacius, quàm eorum, qui poteſtati, & imperio alicuius ſunt ſubiecti, iuſta debitáque obedientia, quæ ex animo vero, fideli, & ſyncero proficiſcatur. Theopompus Rex Lacedęmoniorũ, dicenti cuidam, idcirco Spartam optimè ac diutiſſimè ſeruari, quòd Reges bene imperare didiciſſent, ſcitè profectò dicitur reſpondiſſe, quin potius, quia ciues Regis edicto audientes eſſent. Ac omnino Regni, imperij, Reipub. familiæ, cuiuſuis deniq; ſocietatis, ſiue magnæ, ſiue mediæ, ſalus cum iuſto, legitimo, ac ſapiente imperio, tum iuſta debitáque ſubditorum obedientia conſtat. Obedientia igitur (quam Cyprianus omnium diſciplinarum matrem vocat) debetur cùm Deo imprimis, tum Regibus, principibus, magiſtratibus, proceribus, præceptoribus, tutoribus, patronis, omnibus deniq; iis, qui vel per naturam,

vel per legem dominantur: Atqui hic tuus Rex est tuus imperator, tuus dominus, tuus magistratus, tuus pater, tuus tutor, tuus patronus, iustus, naturalis, atque legitimus. Qua igitur ratione iustam meritámque ei obediẽtiam sine multiplici culpa, atq; scelere denegare posses? Persarum imperium (vt taceam de aliis) idcircò tam diu floruisse existimatur, quòd Reges suos maximo in pretio, & honore habuerunt, in quo tamen modũ excesserunt, cùm diuinos illis honores tribuerunt. Quòd si igitur Ethnici vera Religione vacui, tamen vel naturæ instinctu, & impulsu Reges suos etiam vitiosos sibi amandos, & colendos esse duxerunt, nec sine nephario scelere violari posse, atque lędi existimarunt (vt plurimis exemplis probari posset) quantò magis hęc Christianorum debet esse mens, atque sententia, quantò magis illi omnem honorem, amorem, obseruantiam, & obedientiam Regibus suis deferre debent, quibus Deus ipse Reges, principes, ac magistratus, tanquam suos vicarios, tanquam deos quosdam, vt in sacris literis appellantur, nõ natura, sed munere & officio diligentissimè verbo suo sacrosancto commendauit.

Obediendo igitur huic tuo Regi, Deo ipsi obedies, qui hunc tibi Regem non in ira & furore suo, sed pro gratia, & amore suo immenso tibi dedit. Contrà autem inobedientia tua Deum ipsum (vt nihil dicam de Rege) ad iram, & furorem grauissimum prouocabis, grauissimam eius in te iram, & offensionem concitabis, in horrendas Dei manus incurres. Obedientiam Regibus,

principibus,

principibus, magistratibus legitimis debitam qui negligunt, atque violant, illi Deo ipsi sunt inobedientes, ac proinde in grauissimum, teterrimum, & inexpiabile perduellionis, læsæ maiestatis non tantùm humanę, sed etiam diuinę crimen incurrunt, illi ordinem à Deo constitutum conuellunt, labefactant, illi omnis ordinis, iuris diuini, & humani sunt violatores, omnis societatis humanæ perturbatores, sunt censendi. Ægyptij sacerdotes populum Regi suo obsequentissimum significare volentes, apem formabant breuem, variam, in rotunditatem compactilem. Mira enim est apum erga Regem suum beneuolentia, & obedientia, de quo sic eleganter & melle dulcior est Plinij oratio, lib. 11. c. 17. Mira plebis circa eum obedientia: quum procedit, vnà est: totum examen circa eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore cùm populus in labore est, ipse opera intus circuit similis exhortanti, solus immunis. Circa eum satellites quidam, lictorésque, assidua custodientes auctoritate. Procedit foras non nisi migraturo examine. Si quis alam ei detruncet, non fugiet examen. Cùm processere, se quæque proximam illi cupit esse, & in officio conspici gaudet. Fessum humeris subleuant, validius fatigatum ex toto portant. Si quâ lassatus deficit, aut fortè aberrauit, & ore prosequuntur vbicumq; ille consedit, ibi cunctarũ castra sunt, &c. Quantò igitur magis decet hominem ratione præditum suis dominis, sese obedientem & obsequentem summa cum fide, atque beneuolentia exhi-

bere, ac proinde non homines, ſed brutis animantibus deteriores illi iure ſunt exiſtimandi, qui id facere recuſant.

Cogitabis prætereà hanc obedientiſſimam, præſtantiſſimam, & Chriſtianiſſimam virtutem à multis ſæculis ad hunc vſque diem quaſi propriam fuiſſe Gallici generis, atque ſeminis. Hac inquam virtute atque laude gens Gallica multarum gentium, atque Regnorum victrix, omnibus ferè reliquis gentibus, atque populis terrarum, longè antecelluit, palmámque hac in parte poſſedit, qua de cauſa non mirum eſt iuxta illam paulò ante commemoratam Theopompi Regis Spartani ſententiam, Regnum hoc tuum tam diu duraſſe, & in ſtatu fœlici, & florenti permanſiſſe. Hac ipſa virtute, hoc eſt, obſequium & obedientiam Regibus ſuis naturalibus præſtando maiores tui multos potentiſſimos Reges, belliciſſimas gentes deuicerunt, in Regni huius ditionem ſubegerunt. Hanc igitur virtutis, atque gloriæ hæreditatem, ac patrimonium à maioribus tuis acceptum, tibi relictum, te retinere, & conſeruare, minimæque inobedientiæ alicuius, vel minima ſpecie polluere, ac contaminare decet.

Contumacia omnis, vt ait Arrianus Iuriſconſultus aduerſus ducem, vel præſidem militis, capite punienda eſt: quantò magis igitur contumacia aduerſus Regem, Regem præſertim iuſtum, & legitimum? Conſenſus prætereà virtus atque voluntas conſentiens tota Chriſtianorum Regni tui procerum atque optimatum (qui & ipſe

ipse testis est diuinæ voluntatis) tibi auctor, impulsor, & suasor ad hunc iustum, legitimum tuum Regem ambabus, quod dicitur, vlnis amplectendum, atque colendum esse debet. Hæc ergo sunt grauissima, firmissima, maximíque momenti, meo iudicio argumenta, ex diuino & humano iure ducta, quæ te, mea Gallia, meritò ad hunc tuum Regem amandum, colendúmque incitare, atque flectere debent: Deus ipse fundator, & auctor est omnis Regiæ, & imperatoriæ dignitatis, ac potestatis, ille vult, nobis præcipit, ac mandat, vt omni iustæ, legitimæque potestati, ac imperio pareamus. Omnis igitur, qui Regiæ maiestati resistit, & repugnat, is diuinæ maiestati, auctoritati, ac voluntati reluctatur. Non igitur solùm Regem, illius familiã, propinquos, amicos, consiliarios, subditos, fideles, quorum maxima est copia, incredibilis dignitas, summa potestas, sed ipsum Deum pertinaci hac tua rebellione, ac contumacia ad iram, & furorem implacabilem prouocabis, qui tibi placandus potius est pœnitentia, quàm pertinacia ista, atque contumacia magis irritandus. Graue est, vt illis Ciceronis verbis vtar, habere eundem iratum simul, & armatum, quantò igitur tibi grauius, & horribilius erit habere ipsum iratum simul, & armatum immensis opibus, atque viribus.

Si times, & exhorrescis Pontif. Rom. iras, excommmnicationes, proscriptiones, anathematum fulmina, quæ sæpe antiqui tui Reges tanquàm iniqua, iniusta, ac violenta contempserunt, nec illis se terreri, & ab officio suo auocari,

passi sunt, quantò maiori tibi terrori,& horrori esse debet Dei supremi illius nostri Iudicis ira, vltio,& maledictiones,qui omnes eos qui iustis, legitimísque suis Regibus, & magistratibus, iustam debitámque obedientiam præstare recusant, non solùm humanæ, sed etiam æternæ vitæ communione priuat. Si Papæ, & Pontif. Rom. auctoritas plurimum apud te valet, plus apud te Dei valere debet potestas, & imperium, à quo nulla est prouocatio, nullum patet effugium. Dei igitur & voluntas, & benignitas: & potestas, & iustitia, & vltio te ad hunc tuum Regem amplectendum & omni officiorum genere prosequendum incitare debet. Noli ergo Deo, Religioni, conscientiæ tuæ reluctari, quæ quidem lucta tibi grauissimum tandem luctum est paritura. Noli Dei clementissimi tui patris benignitatem, te ad pœnitentiam & obedientiam iustam inuitantis contēnere, ne tandem horrendam eius iustitiam,ac seueritatem sentire,& experiri cogaris.

Redite igitur tandem cum illo in gratiam, qui vobiscum in gratiam redire cupit, qui non vestrum exitium, sed salutem potius ardentissimè expetit, vos non perditos, sed conseruatos cupit. Ne igitur quæso immortale,& inexpiabile cum illo bellum geratis,qui vobis amicis potius, quàm inimicis vti magnopere cupit. Ne pergatis bellum aduersus illum obstinatè gerendo,in Deum, & in patriam peccare. Quousque tandem,ô Gallia,gladios vestros mutuo sanguine imbuere, in vos ipsos vestráque viscera figere,

gere,bellum ac ſimul peſtem,perniciem,vaſtitatem vobis inuicem inferre perſeuerabitis: quis tandem erit finis iſtorum veſtrorum bellorum, ſeditionum,cædium,& lanienarum,quem ad finem ſeſe iactabit effrenata iſta veſtra & quaſi inſatiabilis audacia,atque ſæuitia? Quàm eſt indignum, ab omni ratione Religionéque alienum, vos vim fœdam, & immanem,quam communi opera atque ſtudio à veſtris ceruicibus, & capitibus,veſtris viſceribus vos auertere, ac depellere oportebat,nunc vobis ipſis inferre?Refugit animus, atque exhorret commemorare immanitatem,quam in vos ipſos exercuiſtis, quam nulla barbaria poſſit agnoſcere.Recordamini liberorum, & coniugum veſtrarum turpiſſimas violationes, ædium, tectorum, oppidorum deſtructiones, atque ruinas, agrorum vaſtitates, innumerabilium cuiuſuis ſexus,ætatis,conditionis,& ordinis hominum horrendas cędes,atque lanienas, miſerabiles fugas, triſtiſſima exilia, infamiam,egeſtatem, & alias calamitates, quæ bella præſertim ciuilia comitari ac conſequi conſueuerunt.

Redite tandem in gratiam cum Deo,cum veſtro Rege,vobiſcum inuicem.Et quidem ſi cum Deo in gratiam redire, Si Deum vobis reconciliari, atque placari, ſi illo poſthac propitio potius,& placato,quàm irato,& aduerſo vti cupitis, neceſſe profectò erit vos prius & cum Rege veſtro, & vobiſcum inuicem in gratiam redire, obliuiſci iniuriarũ, deponere & abiicere multorũ odia, inimicitias, ſtudere paci, & concordiæ.

Imitamini cùm Dei immensam & infinitã, tum huius Regis vestri singularem clemẽtiam, mansuetudinem, placabilitatem. Nolite cum sitis mortales, immortales & perpetuas inimicitias gerere. Deponite arma, seu armatos, hoc est iratos vestros animos, & inducite arma spiritualia, quę sunt clementia, lenitas, mansuetudo, patientia, charitas. Tandem aliquando de tetro hoc tuo incendio belli intestini potius extinguendo, quàm fouendo cogita, ne quæso ad illud fouendum, faces, & oleum, hoc est, arma, pecunias, opes incendiariis subministrare pergas. Noli religionis nomine, & obtentu inimicitias tam graues, & atroces ampliùs gerere, ne pergas religionis velo, & integumento, tetra & impia ista tua odia, inimicitias, & crudelitatem mutuam palliare. Religio enim Christiana, & Christus eius auctor, caput, doctor, & magister perfectus, nos odia, & inimicitias deponere, voluntaria perpetuáque ἀμνηστεία id est, obliuione cõterere, etiam cum inimicissimis in gratiam redire, iisque nos recõciliari iubet. Religionem contrà Christianam non colimus, sed impiè, nefariéque violamus, quando in mutuis odiis, & inimicitiis perseueramus, ac multæ vindictæ, & vltionis cupiditate immani flagramus. Nequaquam gratæ, sed potiùs inuisæ, & execrabiles erunt omnes vestræ preces, supplicationes, cæremoniæ, religio, quandiu diras tetrásque istas inimicitias inter vos pergetis gerere. Si religionis tanto studio flagras, paci fac studeas, quæ quidem religionis est propria, eius est mater, nutrix, & con-

seruatrix

ſeruatrix, vel Deum potius ſupremum pacis, bellíque arbitrum precare, vt pro triſti, ac diuturno iſto bello pacem tibi largiatur, quò ipſius Dei afflatu in vnam tandem fidem, atque religionem veram, & orthodoxam, coaleſcas. Pax enim vera eſt mater, atque nutrix fidei, & religionis: bellum contra eiuſdem peſtis eſt, atque pernicies. Ne amplius religionis, & iuſtitiæ obtentu, atque prætextu glaucomā oculis tuis obiici, mentis tuæ oculos tibi perſtringi, atque ita diutiùs bello iſto religionem, iuſtitiam, iudicia, patriam, & Eccleſiam perturbari, & exterarum quoque gentium ludibrio, rapinis, direptionibus, contumeliis, iniuriíſque exponi patiaris. Bello pacem: hoc eſt, ſalutem exitio, longè anteponas. Bellum indicas odio, inuidiæ, inimicitiis, auaritiæ, ambitioni, & aliis prauis affectibus, vnde tetra iſta bella (quæ ſunt quaſi peſtifera quædam multorum capitum bellua) exiſtunt, & exoriuntur. Noli diutius bellum gerere contra patriam, contra tuam ſalutem, ſed potius contra prauos tuos affectus, libidines, cupiditates, contra auaritiam, ambitionem, odium, ſpem fallacem, vanos & inanes metus. Hoc enim bellum eſt belliſſimum, ac ſaluberrimum, Chriſtianóq; homine digniſſimum. Cordi tibi ſit, vt etiam eſt Regi tuo, concordia, qua, vt veriſſimè ille dixit, & experientia ipſa teſtatur, paruæ res creſcunt, diſcordia autem maximæ dilabuntur. Auctore igitur, ac principe hoc tuo Rege, fac ad pacis, cōcordiæ, libertatíſque ſpem exardeſcas, qui quidem data fide, & iureiurando interpoſito tibi a-

nimi,& conſcientiæ libertatem eſt pollicitus.

Nolite vos,Eccleſiaſtici ordinis homines,atque clerici,in veritatis,humilitatis, & charitatis Chriſtianæ cathedra,bella,arma,ſanguinem,cędes,rebelliones, Regis & principũ cõtemptum, atque odium ſpirare,ſed populum potius ad paçem,& concordiam,ad iuſti legitimíque tui Regis reuerentiam,& obedientiam excitate,eſtote pacis,conçordiæ,atque charitatis,non diſcordię, diſſenſionum,atque turbarum tubæ, atque buccinæ , ſi patriæ vobis ſalus curæ eſt atque cordi, vt eſſe debet. Nolite belli diſcordiarum , rebellionis , inobedientiæ , ſed pacis ( qua Deo nihil gratius,& acceptius,hominibus nihil iucundius, & ſalutarius)patientiæ, manſuetudinis,eſſe præcones,auctores, & impulſores, & cùm ipſo vitæ veſtræ exemplo , quo nihil ad homines mouendum eſt efficacius,tum cõcionum veſtrarum facibus , omnes virtutum illarum ſtudio inflammate.

Dulce enim etiam nomen eſt pacis, res verò ipſa cùm iucunda,tum ſalutaris. Nam nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere poteſt,quem diſcordiæ , quem cædes ciuium,quem ciuile bellum delectat, eúmq; ex numero hominum eiiciendum,ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto : non is homo,ſed monſtrum, bellua fera , & immanis eſt. Tandem igitur aliquando depoſitis abiectiſque armis,paci ſtudeas,cuius vides Regem hunc tuũ eſſe ſtudioſiſſimum. Semper enim Rex tuus pacis laudator,auctor,ſuaſor,& alumnus fuit. Quęſo

ſo igitur tandem aliquando tot tantíſque edocta malis ſapere, ſiue reſipiſcere diſcas, & arma iſta, animatóſque ſimul iſtos tuos animos, atque ſpiritus depone, & abiice, colla verò naturali huic tuo Regi ſubde, nec aduerſus ſtimulum calcitrare pergas. Moneat atque moueat te præteritorum malorum recordatio ad pœnitentiam, qua Deus placatur. Nunquam ſera nimis eſt pœnitẽtia, dum modo ſit ſeria & vera.

Quoniam autem belli iſtius tui ciuilis & inteſtini cauſa præcipua à nonnullis eſſe exiſtimatur religionum diuerſitas, omnino in tua patria: vt etiam apud nos, atque adeò in toto orbe chriſtiano, quinq; reperio eſſe hominũ genera. Vnũ eſt eorum, quorum religio eſt nulla religio, ij ſunt homines athei, epicurei, libertini, qui in omni ſcelerũ, & flagitiorum cœno volutãtur, qui nullis legibus ſe aſtringi patiuntur, quę hominũ natio vtinã hodie per totum orbẽ Chriſtianum nõ tã diffuſa eſſet. Horũ verò effrænata, & indomita peccandi licentia, atq; libido, legũ vinculis, & pœnarũ ſeueritate, cõſtringi, ac reprimi debet.

Secundum genus eſt hypocritarum, qui Religionis, æquitatis, pacis, & charitatis erga Deũ, patriam, & Eccleſiam ſimulatione, non Religionem, non Dei gloriam, non Eccleſiæ, ac patriæ ſalutem, ſed ſua priuata commoda, & emolumenta, honorum, dignitatum, ac fortunarum amplificationem quęrunt, & idcircò bellum hoc non extingui, ſed foueri, ac continuari cupiunt, quo facilius communi & publico incendio ad id quo aſpirant, peruenire, optatum & ſperatum

finem consequi possint, quum tamen illi spe sua magis magisque iusto Dei iudicio frustrentur.

Tertium genus est eorum, qui alterutri Religioni verè & ex animo addicti, vnam tamẽ, non autem duas, ac diuersas Religiones, in patria sua ferendas, ac tolerandas esse, ac proinde alteram, quam illi falsam esse arbitrantur, omni ratione, siue vi, & apertè, siue clàm, & per insidias, euellendam, exscindẽdam, & exterminandam esse existimant: Hi magno videntur duci Zelo, sed Zelus est inconsideratus, Zelus est sine scientia, qui nisi spiritu Dei temperetur, facilè in scelus tandem desinit, ac degenerat. Dubium itaque mihi non est, quin plurimi ex tuis ciuibus, hoc impulsi Zelo, arma cœperint, & hodie quoque illa paci anteponenda esse existiment, non belli, ac dissidiorum intestinorum, sed Religionis suæ, quam colunt, ac profitentur, quámq; veram esse sibi persuadent, tuendæ, ac propugnandæ, & contrariæ exscindendę penitus, & exterminandę studio ducti.

Quartum genus est eorum, qui ex duabus religionibus vnam tertiam quandam posse conflari libenter velint: perinde ac si de rebus terrenis ciuilibus & politicis ageretur, in quibus sępe multa componuntur eiusmodi ratione, & vt Iurisconsulti loquũtur, Rusticorum iudicio. Atque isti Moderatores dum vtrisque volunt gratificari, vtrosque offendunt. Nec enim res diuinę possunt mutari hominum iudicio & institutis.

Quintum his addere possumus genus eorum, qui dolent quidem nõ vnam tantùm, & quidem veram

veram, puram, & orthodoxam Religionem in patria ſua vigere, id quod ſummopere expetunt, & à Deo aſsiduè, & ardenter votis contendunt, doléntque ſummopere contrariam ibi locum habere: ſed qua ſunt prudentia, atque modeſtia, vident id fieri non poſſe, ac proinde vtramque religionem patienter ferendam, nec alterutrius Religionis vel tuendæ, vel tollendæ, & exſcindendæ cauſa bellum ſuſcipiendum, ſed alia iuſta, atque legitima media, atque remedia adhibenda eſſe exiſtimant, quæ pietati, Religioni, charitati Chriſtianæ, veteris & primitiuæ Eccleſiæ mori, ac conſuetudini, magis ſunt accommodata. Et in hac quidem ſententia eſt tuus Rex, ſunt innumerabiles alij ſapientes, & cordati viri.

Duæ igitur ſunt meo iudicio opiniònes, quæ Regnum tuum iam diu valde perturbarunt, & adhuc vehementer perturbant, quæ tamen ferè ſunt coniunctæ, ita vt vna ex altera dependeat. Altera eſt quod nonnulli opinantur, ſibíque penitus perſuadent, nullum Regnum, nullam rempub. nullam ciuitatem, nullam familiam, nullam denique ſiue paruam ſiue magnam hominum ſocietatem, ſtare, ſaluam incolumémque permanere poſſe, vbi duæ, & quidem diuerſæ, ac contrariæ Religiones locum habent, ac proinde duas diuerſas Religiones in vna Repub. nũquam vllo pacto ferẽdas, ac tolerandas, ſed alterutram quouis modo tollendam, & exterminandam eſſe. Nam vbi ſit Religionis diuerſitas, ibi neceſſariò conſequi animorum diſtractiones, diſcor-

dias,bella, & hinc exitium, atq; interitum. Hinc ſemper illud in ore habent, decantant,& crebris vſurpant ſermonibus: Vnus Rex,vna lex,vna religio. Altera eſt quòd Religionis veræ quidem tuendæ,conſeruandæ, ac amplificandæ,falſæ autem extirpandæ rationem in armis, in bello, in tormentorum, ſuppliciorúmque acerbitate, & immanitate poſitam eſſe exiſtimant. Atque hæ quidem ſunt, ſi verum vis fateri, duæ præcipuæ cauſæ, propter quas plurimi ex tuis ciuibus, zelo quodam pręcipiti,& inconſiderato, quibuſuis feris immaniſſimis ferociùs in ſe ipſos ſæuiunt, atque omnia crudelitatis,& immanitatis genera depromunt. Quantum igitur ad priorem opinionem attinet,fateor equidem optandum eſſe, & id quidem omnibus Regibus, Principibus, magiſtratibus, cuiusvis ſocietatis rectoribus enitendum omni ſtudio, atque elaborandum, vt vna tantùm, & ea quidem vera, pura, & orthodoxa Religio, in ſuo Regno,iuriſdictione, & ciuitate colatur, & exerceatur, ſi quidem id ſine manifeſto maximorum incommodorum, ſiue ruinæ, & exitij fieri poterit. Nunc verò, vt veriſſimè, ſapientiſſiméque poëta ille cecinit, *Curando fieri quædam maiora videmus, Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.* Quando igitur Regnum vel Reſpub.quævis in eum locum eſt adducta,vt licet diuerſæ, & contrariæ in illa Religiones vigeant,& ita inualuerint, támque altas radices egerint, vt ſine horrenda vaſtitate, exitio, atque ruina alterutra euelli non poſſit,tunc Chriſtiana modeſtia,atque patientia, vtraque Religio tolerari

rari debet, ac poteſt: nec idcircò metuenda eſt illius Regni, Imperij, & Reipub. ruina & exitium. Sciendum itaque eſt, quemadmodum vnius & eiuſdem Religionis, ſiue veræ, ſiue falſæ exercitium, in vno Regno, Repub. & ciuitate non prohibet, quò minus in illa ſocietate, contentiones, ruinæ, tumultus, & bella cruenta, exoriantur: ita contrà in vno aliquo Regno, ſiue Repub. & ciuitate, pax, & concordia, coli poteſt, etiamſi in illa Religiones exerceantur. Itaque quemadmodum vnius Religionis exercitium per ſe non eſt concordię cauſa: ita Religionis diuerſitas, ſiue diuerſarum Religionum exercitium, non diſcordiarum, bellorum, & exitij cauſa exiſtimandam videtur, vt vel ipſa quotidiana, vel omnium ætatum, atque temporum experientia teſtatur. Exempli gratia, in antiquiſſimis illis totius mundi imperiis, ac monarchiis, Aſſyriaca, Perſica, Macedonica, Romana, nonne conſtat vnam quidem Religionem, idololatricam, & Ethnicam, vt vulgò appellamus, cultam fuiſſe, & tamen in illis nihilominus eidem idolol. addictis, diſſidia, atque bella inteſtina exorta ſunt, quibus tandem potentiſſima, ac florentiſſima imperia funditus cõuulſa, ac labefactata ſunt. Sed vt omittam priſca illa ſæcula, An non conſtat aliquot ſæculis in orbe populóque Chriſtiano, licet vna Religio dominata ſit, tamen multos atroces, horribiles, cruentos motus, tumultus, bella ſemper exarſiſſe, quibus multa hominum millia immaniſſimis cædibus abſumpta, multæ vrbes, atque Regiones horrendum in modum deuaſtatæ, & euerſæ

fuerunt. Repete animo, atque reuolue vestras historias, & annales, & in iis reperies inter Christianos in Christiana Repub. vnius licet Religionis cultrice, tamen horrenda bella atque etiam intestina extitisse. Hæc diligenter velim expendi ab iis, qui bellorum istorum ciuilium in orbe Christiano culpam omnem nouæ, vt vocant, Religioni ascribũt, cùm certo certius constet, etiam ante hæc nostra tempora, quãdo Romana Religio vulgò & passim obtinere videbatur, tamen semper Christianum orbem mutuo Christianorum sanguine atque cędibus maduisse. An non in ipsa Gallia, vt ab illa vniuersitate totius orbis Christiani discedam, in ipsa Regione tua, multa ciuilia & quidẽ horrenda, & cruenta bella excitata sunt, quando vni tantùm Religioni Rom. in illa locus fuit? Id historiæ tuæ, & annales clarissimè testantur, plurima inde luculenta exempla depromi possent. Quid? hoc ipso tempore an non vides ciues tuos, qui Romanam Religionem profitentur, tamen grauissimis à se inuicem odiis, & inimicitiis dissidere, sibíque inuicem pestem, & exitium machinari? Nonne Guysius Relig. Rom. addictissimus: in Hericum III. Galliæ Regem Rom. rel. addictissimum coniurauit? Ex his igitur liquido constat, vnius & eiusdem Religionis exercitium, in vna aliqua Repub. vel ciuitate, non prohibere, quò minus in illa dissensiones, motus, & bella existant, & inde cædes funestæ consequantur: ac proinde, id quod est consequens, vnius & eiusdem Religionis exercitium, non esse per se, præcisè & absolutè causam

tè causam pacis, atque cõcordiæ. Et vt religionis vnius exercitiũ non semper causa est pacis, atq; cõcordiæ, nec semper prohibet discordiam, atq; bella: sic contrà, religionis diuersitas, & diuersarum religionum exercitium, (nam contrariorum contraria sunt consequentia) non per se, & absolutè discordiarum, atque bellorum, causa iudicari debet. Nam vt omissis antiquis exemplis, ad noua, & recentia veniam, an nõ luce meridiana clarius est, multa in orbe Christiano regna, imperia, ciuitates, populos, pace, concordia, opibus florere, licet diuersę in illis Religiones tolerentur, & exerceantur?

Quòd si nonnunquam motus, seditiones, bella intestina, in illis exarserint, id factum nõ tam propter religionum diuersitatem, quàm propter hominum auaritiam, ambitionem, inuidiam, æmulationes, & alios prauos affectus, quos religionis velo inuoluere, & integumento palliare fuerunt conati. Vt vnum ex innumeris exemplum proferam, Ephesinę illius seditionis, atque tumultus, de quo in actis Apostol. legimus, quænam quæso alia causa fuit, quàm aurificum illorum & artificum, & fabrorum auaritia, qui cùm religionis Christianæ incremẽto animaduerterent plurimum de lucro, & quæstu suo detrahi, idcirco tumultum illum, religionis obtentu, atque prætextu excitarunt. Et hæc quoque hodie est præcipua causa bellorum ciuilium, atque tumultuũ, in orbe Christiano, nempe inexplebilis cùm diuitiarum, opum, tum honorum, dignitatis, & imperiorum cupiditas, quæ nimirum

religionis velo obtegitur, & oc cultatur. Polonici illius tumultus, atque belli causa, non est religionis diuersitas, sed ambitio, qua fit, vt illi ipsi, qui vnam & eandem religionem profitentur, de regno illo acerrimè, ad magnam vsq; sanguinis effusionem, adhuc inter sese dimicarint. Quod igitur regnum illud iam aliquādiu perturbatum fuit, non religionis, sed sententiarum, ac suffragiorum de Rege, atque regno, diuersitati esse ascribendum, & acceptum referendum omnes intelligunt. Non dissensiones de religione, sed de regno, istos motus pepererūt, quibus respub. illa aliquandiu concussa, & conquassata fuit.

Testis eiusdem rei est tota Germania, in qua iam per multos annos pax fuit, & tranquillitas, inter multas de religione dissensiones: in qua similiter multis in locis vtriusque religionis cultores non desinunt mutuam inter se agitare pacem, atque concordiam, nec illam propter hanc religionum diuersitatem abrumpunt.

Rhætia, socia, & fœderata nostra, licet ipsa quoque in diuersas duas religiones sit distracta, & licet vtraque religio ibi locū habeat, & exerceatur, & quidem Romanæ religionis cultores reliquis numero, longè sint inferiores, tamē tota illa gens licet bellicosissima pacata est, & tranquilla, tamque alta pace, & tranquillitate fruitur, vt neutra pars alteri quicquam, vel minimum facescat negotij, atque molestiæ, quin mutuam inter se pacem, & concordiam constantissimè colunt, licet quidam illam turbare fuerint conati, illam ad nouum fœdus solicitando, à quo pro

con-

constanti sua erga te fide tota abhorret.

Ego denique, ego, inquam, ipsa eius tibi sum testis, quæ licet vtriusque religionis exercitium apud me vigeat, & illi qui Reformatæ religioni sunt addicti, Romanæ religionis cultores, numero, opibus, agris, & possessionibus longè vincant, & superent, tamen iam per 60. ferè annos & amplius, pacem, & tranquillitatem colo, eáq; fruor, cùm tamen, si annales nostræ euoluantur, numquam legamus, patriam nostram diutius viginti annos antea vel externo vel intestino bello caruisse, etsi tum vna tantùm religio Rom. coleretur.

Quid dicam de te, de tua patria, an non aliquot in illa sunt vrbes, quæ licet vtrámque religionem profiteantur, atque colãt, tamen nihilominus mutua pace, atque concordia sunt coniunctæ?

Ex his igitur patet, illos non esse audiendos qui existimant Rom. religionem cum Reformata stare non posse in aliquo regno vel Repub, quin ipsius Regni vel Reipublicæ subuersio & exitium consequatur.

Quòd si Papa ipse, diuersissimas in sua ditione religiones tolerat, & illas impunè, liberéque exerceri patitur: si in tota Italia diuersissimæ religiones, sine pacis perturbatione coluntur, vt est Catholica Romana, atq; Iudaica, inter quas tantum est discrimen, quantum inter cœlum & terram: cur tu non feres duas religiones Christianas, inter quas non tanta est, quanta inter illas, discrepantia? Quod iis imprimis propositum

velim qui apud te Rom. Pontificem ſequuntur. Non igitur, vt ex his patet, ipſa per ſe religionis diuerſitas, turbarum, ſeditionum, tumultuum, & bellorum cauſa eſt, ſed turbulentorum, ac violẽtorum quorundam hominum audacia, & improbitas, qu alios vi & armis à religionis ſuæ confeſſione, atque cultu arcere, atque depellere, & ad ſuam religionem traducere conantur. Hinc iſtæ lachrymæ, iſtæ turbæ, ſeditiones, tumultus, atque bella, quæ à turbulentis hominibus, religionis ſpecie, atque nomine, excitantur.

Cogitabis igitur, eum in locum regni tui res, ſtatúmque tuum eſſe adductum, ita patrię tuę rationes ferre vt ſiquis velit alterá ex duabus religionibus vi & armis tollere: ille quoque velit præſens tui Regni exitium.

Nolim tamen tuum Regnum eſſe cloacam omnium errorum, ita vt impunè liceat phanaticis omnibus hæreticis blaſphemis commorari, quin potius te hortor, ſoror chariſſima, vt eiuſmodi monſtris Regni tui fores occluſæ ſint. Et ſi qui fortè inueniantur Athei, Epicurei, Anabaptiſtæ, Antitrinitarij, Arriani, Libertini, & eiuſmodi homines, in eos grauiſſimè animaduertat tuus Rex Chriſtianiſſimus: neque tetrum illud virus ſerpere vllo modo patiatur.

Hæc præterea religionum diuerſitas non obſtat, quô minus Regibus, & principibus iuſta debitáque obedientia præſtetur, vt multorum non ſolùm Chriſtianorum, ſed etiam barbarorum populorum exemplis confirmari poſſet.

Venio ad illos qui vi, armis & tormentis alterutram

terutram religionem, è Regno tuo tollendam, & homines ad hanc vel illam religionem, quam veram eſſe arbitrantur, profitendam, eodē modo cogendos eſſe exiſtimant. Hanc verò opinionem cùm ipſa ratio, tum experientia (quam recte ſtultorum magiſtram appellant) refellit, atq; refutat.

Et quia neminem adhuc audiui qui diceret in tua Gallia, eos qui profitentur rel. Romanam eſſe vi & tormentis cogendos ad relig. Reformatam profitendam, quum potius dicant ex verbo Dei docendos eſſe: eos hic tantùm compellabo qui rel. Romanam profitentes exiſtimant relig. Reformatam vi & armis exſcindendam.

Cogita igitur poſtquam ante ducentos fere annos in concilio Conſtantienſi Ioannes Huſs, atque Hieronymus Pragenſis, contra fidem publicam, fuerunt immaniſſimè combuſti, quàm horrendum inde & cruentum fuerit bellum inter Chriſtianos per Bohemiam cōſecutum, quo multa quidem hominum millia vtrinq; fuerunt extincta, ſed Religio, quam martyres illi docuerunt, tolli idcircò non potuit, & nunc quoque viget.

Deinde poſtquam Reformata hæc, quæ pleriſque inuiſa eſt, quòd eam exiſtiment nouam & hæreticam his poſtremis temporibus ante annos fere 60. aut 70. in Germania primùm, mox etiam in Heluetia, & in reliquis totius orbis Chriſtiani partibus, paulatim longè latéque doceri cœpit, & idcircò in tua quoq; patria pedem poſuit, ſedem ac domicilium fixit, quantò per Deum

immortalem, labore, ſtudio, opera, ardore illius initiis potentiſſimi Chriſtiani orbis Reges, Imperatores, atque Principes, Pontif. Roman. auctoritate, atque hortatu aſſiduo obſtiterunt? quos non conatus, vires, ſupplicia, torméta, atq; cruciatus ad illam excindendam adhibuerunt? Ac primùm quidem, vt inde exordiar, fortiſſimus, potentiſſimus, vt norunt omnes, rerúmque geſtarum gloria florentiſſimus Imperator Carolus V. cùm in Germania primùm, & in illius imperio Reformatæ huius Religionis ſemina ſpargi cœpiſſent, incredibile dictu eſt quanta ille contentione, quantis opibus (quibus valuit plurimum) ei ſeſe ab initio oppoſuerit, ei repugnarit, illam ſtatim in ipſa herba, vt ita loquar, creſcentem, ac pullulantem excindere penitus, atque delere conatus fuerit, Germanorum, Hiſpanorum, Italorum, & aliarum gentium, atque principum potentiſſima, fortiſſimáque vſus opera, copiis, atque machinis. Et quidem Imperator ille bellum iſtud aduerſus ciuitates, atque principes illos, qui reformatam religionem amplexi fuerant, ac profitebantur (qui vulgo Proteſtantes appellantur) non modò fortiter, ſtrenuè, ſed etiam fœliciter geſſit, pręliis multis vſus eſt ſecundis, multis potitus eſt victoriis, ciuitates (excepta vnica Magdeburgenſi) ac principes illos omnes vicit, ac in ſuam manū, poteſtatémq; redegit. Sed quid? victor licet, domitor, ac triumphator illarum ciuitatum, atque principum fuerit, tamen religionem ipſam expugnare, atque opprimere non potuit, ſed potius tandem, pace

conſtituta,

constituta, vtriusque religionis tam Reformatæ, quàm Romanæ, liberè, & impunè colendæ, potestatem omnibus imperio subiectis facere est coactus. Imò palmæ instar, quò magis pressa fuit, tantò magis victrix exultauit.

Post pacem verò illam factam, & pacis edicta, & constitutiones, quas inuiolatas conseruari curauit (cuius non minima causa Rex tuus Henricus II. fuisse creditur) Germania ad hunc vsque diem in illa religionum diuersitate, pace & tranquillitate vtitur, & secura vicinorum suorum calamitates, atque ruinam spectat. Ipsa ergo Germania, vicina nostra satis supérque te docere potest, religionem hanc reformatam vi, ferróq; exscindi non posse, deinde etiam in duarum istarum Religionum diuersitate tamen pacem & tranquillitatem posse consistere.

Atque, vt alio exemplo vtar, Philippus Hispaniarum Rex potentissimus, filius Caroli V. iam per multos annos, partim diris suppliciis, atque tormentis, partim militaribus copiis, atque bello, eandem Religionem ex Belgio, seu inferiore Germania exscindere, atque exterminare sedulò studuit, regioni pulcherrimæ, & amœnissimæ, ciuitatib. atque populis illis olim florentissimis, horrendam vastitatem intulit, maximam hominum multitudinem è medio sustulit. Sed hunc quoque illius conatum, vanum, irritum, & inanem esse res ipsa, & experientia quotidiana loquitur. Nam plurimis licet hominum millibus ex vtraque parte sublatis, & extinctis, regione tota deuastata, ipsa tamen religio adhuc in illa

permanet, & maiora in dies incrementa, viréſq; ſumit. Cogitatu, nedum dictu eſt horrendum, quantæ cædes, atque ſtrages in regione illa editæ fuerint. Nihil dicam de ipſa Hiſpania, in qua licet tanta adhibeatur ſæuitia aduerſus illos (de quibus vel minima, ac tenuiſſima eſt religionis iſtius ſuſpicio) quanta maior ne excogitari quidem poteſt, tamen illa opprimi omninò non poteſt, imò augetur magis, & amplificatur, & multi conſtãtia, ac fortitudine ſingulari eorum, qui diris & exquiſitis tormentis, atque ſuppliciis è medio tolluntur, & illam ad extremum vſque ſpiritum confitentur, victi, eandem religionem amplectuntur.

Quid dicam de Maria Regina Angliæ, quam Rex Philippus in matrimonio habuit, an nôn illa quoque omnes regni, opúmque ſuarum neruos intendit, ad eandem hanc religionem ex regni ſui finibus exterminandam, an non innumerabilem hominum multitudinem, qui huic religioni dediti, & addicti fuerant, ferro, atque flamma è medio ſuſtulit? Sed quid effecit? Niſi quòd illa defuncta, & extincta, & quę ei ſucceſſit, ſorore eius Eliſabetha Sereniſſ. fœliciter regnãte iam per 30. & amplius annos, illa ipſa religio, in regione regnóque illo, regnat adhuc, atque dominatur? Quàm multę ipſi huic Reginę, ſtructæ ſint inſidiæ quis ignorat, ex quibus tamen omnibus Deus illam mirificè eripuit.

Idem de regno Scotiæ, & eius Regina Maria, quæ Franciſco II. Regi tuo matrimonio priori iuncta fuit: affirmari poteſt. Illa enim omnem

adhibuit

adhibuit vim & diligẽtiam, ad eandem religionem ferro, flammáque expugnandam: & tamen ipſa primum quidem annos decem & nouem, in carcere, & captiuitate detẽta, deinde anno 1587. capitis ſupplicio affecta eſt. Illa autem ipſa religio in regno illo adhuc viget: quam etiam filius eius Iacobus VI. Sereniſſimus qui nunc regno illi imperat conſtanter colit, tuetur, atque defendit.

Poſſem plura tibi aliorum quoque Principũ, Regum. Magiſtratuũ, ciuitatum exempla in hãc eandem ſententiam proferre, quorum omnium vi, ferro, atque flamma hanc religionem extirpandi conatus ad nihilum reciderũt: ſed eorum potiſſimum tibi exempla proponere volui, quorum maxima fuit in orbe Chriſtiano potentia, quíque in religione hac exterminanda præcipuè deſudarunt, & omnes facultates, viréſque ad religionis iſtius euerſionem contulerunt.

Sed quid opus eſt, ô Francia, externis exemplis, tu tu, inquam, ipſa teſtimonium huic rei perhibere in primis potes, quæ maximo tuo damno, ac detrimento experta es, religionem hanc Reformatam nulla vi externa, quantumuis grauiſſima, & acerbiſſima, deleri poſſe. Nam præ cæteris orbis Chriſtiani Regibus, atque populis, continuum, acre, ac vehemens tuum in religione iſta opprimenda ſtudium extitit. Quanto Zelo, quãto animorum ſtudio, & ardore eius principiis obſtitiſti, & quaſcunque potuiſti tormentorum ſuppliciorúmque moles ad eius curſum remorandum obieciſti, quantas ad illam ſtatim

ab initio labefactandam machinas admouisti? Recordare hîc quæso Francisci 1. Regis, & animi & corporis robore præstantissimi, quo imperãte religio hæc Reformata in regno tuo primùm emersit, edicta seuerissima, & quæ illa statim cõsecuta fuerunt, supplicia sæuissima, & exquisitissima, quibus omnes religionis huius cultores, sine vllo vel ætatis, vel sexus, vel ordinis delectu, promiscuè suppliciis affici curauit, ita vt nemini parceretur. Itaque plurimi, qui hanc religionem profitebantur, viui, præsecta nonnunquam lingua, subiectis ignibus cremabantur. Extant inter regias constitutiones Gallicas, edicta illius Regis anno 34. Itémque anno 40. & rursus anno 46. quorum auctoritate Senatores Parlamentorum maximam vim Christiani sanguinis profuderunt, qui quidem mira & incredibili constantia in illius confessione mortem oppetierunt. Quid autem istis suppliciis, atque tormentis profectum fuerit, testis est experientia, testis eius filius, hæres, atque successor Rex Henricus II. Hic enim Rex domi, forisque clarissimus, patrem hac in re imitatus, nõ minus quàm ille omni edictorum, suppliciorúmque acerbitate eandem religionem extirpare tentauit, ipsemet duobus edictis, quorum vnum anno 51. alterum anno 57. edidit, apertè cõfessus est, hos suos & patris conatus fuisse irritos. Et tamen hoc regnante incredibilis hominum multitudo, omni suppliciorum acerbissimorũ genere, fuit sublata. Sed quid? Quô magis ille, & eius consiliarij, officiarij, proceres, in eandem sæuierunt, tantò magis

gis

gis illa creuit, atque inualuit. Ac illo quidem ipſo tempore, quo plurimi paſſim in carcerem coniecti fuerant, qui ei religioni nomen dederant maximè in illos ſæuire Regij officiarij ſtatuerant ipſe ſubitò in ludicro quodam certamine, ſeu haſtiludio, accepto iuxta oculum vulnere admirabili, ſubitò fuit extinctus. Duo itaque hi Reges (quorum maximæ erant opes, ac quibus imperantibus regnum tuum fuit opulentiſſimum, ac florẽtiſſimum) omnibus viribus, adhibitis vel acerbiſſimis & exquiſitiſſimis quibuſq; cruciamentis, atque ſuppliciis, religionem iſtam exſcindere ſunt conati, & quidem ſub illis plurimi paſſim in toto regno, qui conſtanter illi adhærebant, neci fuerunt traditi, vel viui fuerunt combuſti, vel ſtrangulati, vel aquis ſuffocati, vel alio ſupplicij genere mactati. Sed quò plures fuerunt trucidati, tantò plures extiterunt, tantò magis numerus illorum auctus, & amplificatus fuit. Plurimi enim cùm ſpectaſſent eorum qui ob hanc religionem crudeliſſimè exquiſitis ſuppliciis enecati fuerant admirãdam conſtantiam, patientiam, ſermones, cantus pietatis pleniſſimos, eiuſdem religionis cognoſcendæ ſtudio fuerunt accenſi, ac inflammati, tandémque in eius cognitionem peruenerunt. Ita vt non ex plebe tantùm atque vulgo, ſed plurimi ſummæ dignitatis, nobilitatíſque homines, vtriuſque ſexus, Duces, Principes, Reges, eãdem religionem ſint amplexi, tantóque ſtudio coluerint, vt nullis vel minis, vel promiſſis, vel ſuppliciis, vel beneficiis, ab illa ſeſe dimoueri paſſi fuerint, atque

adeò vitam, & ſanguinem pro illa profundere nequaquam dubitarint. Si ergo duo illi Reges, potentia, & auctoritate præſtantiſſimi, omni animorum, conſiliorum, virium, & opum ſuarum neruis, religionem hanc naſcentem primùm in regno ſuo opprimere non potuerunt, quin illa magis magiſque contrà quotidie inualuerit, quid facient alij? Et hinc cõſtat illam vi tormentorum, & ſuppliciorum opprimi non poſſe, ſed illam vel tolerandam, vel aliam eius tollendæ rationem eſſe ineundam.

Prætereà non es neſcia, tres Henrici filios qui illi in regni iſtius adminiſtratione ex ordine ſucceſſerunt, qui fuerunt Franciſcus II. Carolus IX. & Henricus III. vltimus ex Valeſia ſtirpe: nulli pepercisse labori, & ſumptibus, vt religionem iſtam ex ſuo regno euellerent, matre imprimis inſtigante. Extant Regis Franciſci II. edicta, & diplomata, aduerſus illam religionem anno 59. edita, quæ fuerunt tanquam gladius diſtrictus. Nam poſt illa publicata, plurimi paſſim per totum regnum vel quinque menſium ſpatio, Pariſienſis præſertim, ac Tholoſani ſenatus decreto, horrendum in modum excruciati, vſtulatíq; fuerunt. Et tamen hi ipſi tres Reges in omnibus edictis ſuis, aduerſus religionem reformatam editis, liberè & ingenuè confeſſi ſunt, ſe quidem omnes ſuos conatus ad religionem iſtam extinguendam adhibuiſſe, ſed illos recidiſſe ad nihilum.

Habes igitur vel horum ipſorum quinq; Regum tuorum potentiſſimorum experientiam, atque

atque confessionem, quæ meritò omnes ab eodem conatu religionis huius vi tollendæ deterrere,& auocare debet.

Quid dicam de Reginæ matris,& de reliquorum procerum Regni, cùm Ecclesiasticorum, tum politicorum acerrimis conatibus, atque studiis, in eadem religione vi opprimenda, & delenda frustrà consumptis? Quæ omnia profectò tibi documēto esse debent, religionem hanc vi, armis, atque suppliciis opprimi non posse. Nam illis omnibus mortuis & extinctis, viuit adhuc,vigétque in hoc tuo regno hæc religio.

Vt autē sub tribus prioribus Regibus, Francisco I. Henrico II. & Francisco II. eius filio, suppliciis potissimum, atque tormentis, ita sub duobus postremis Carolo IX. & Henrico III. Marte,atque bello eadem grauissimè fuit oppugnata. Bellum autem istud non internis tantùm, ac domesticis, sed etiam externis, & aduentitiis copiis, aduersus reformatæ religionis studiosos, susceptum,& per 30.iam ferè annos,varia,& ancipiti fortuna gestum, quàm varium, quàm anceps,& dubium, quàm graue, quàm acerbum, quàm sæuum,quàm cruētum, fuerit,proh dolor, quid opus est multis verbis? res ipsa loquitur, ídque tu cum maximo tuo damno es experta: adeò vt meritò vsurpare possis vetus illud dictū: *Flere victos,ac victores perdi ab ipsa victoria.*

Considera & animo tuo perpende bellum hoc ipsum postremum, quod anno 85.cœptum: & his 4.aut.5. annis gestum est. An non 10. ferè exercitus,cùm ex domestico,tum peregrino mi-

lite conflati, atque comparati, ad religionem istam exſcindēdam, omnes tamen breui tempore peſte, fame, inopia, cædibus diſſipati fuerunt, & interierunt, ſimulq; numeroſiſſimus ille Germanorum, Heluetiorúmque exercitus, qui Regi tuo, & reformatæ religionis cultoribus auxilio venerat, ſubitò fuit diſſipatus. Confer quæſo, atque compara Regis huius tui noui, eorum qui illi adhæſerunt, & eius partes ſectati ſunt, copias cum aduerſariorum copiis, atque exercitu, & conſidera vtriuſque partis, atque copiarum exitum, fieri profectò non poterit, quin in admirationem ſummam iudiciorum diuinorum, rapiaris, quæ hac in parte apparuerunt.

Ergò quum in ampliſſimo hoc tuo Regno 60. ferè annorum ſpatio religio reformata nulla vel ſuppliciorũ, & tormentorum immanitate, vel belli ſæuitia, (qua incredibilis hominũ multitudo interiit) extingui, atque deleri potuerit, quin contrà creuerit, & magis magíſq; amplificata fuerit, (quod inficiari minimè potes) facilè, credo, vel tuo ipſo edocta exemplo, atq; damno vides, religionem hanc nulla vi, nullis armis, nullis tormentis, atque ſuppliciis tolli poſſe.

Ne te igitur monachorum quorundam tribunitiis concionibus, atque vocibus, ceu facibus, ad arma, ad vim, ad ſeditiones, tumultus, bella inflammari rurſus patiaris, memor dicti illius S. Bernardi, Serm. 64. Scimus Monachi officium eſſe, non docere: ſed lugere. Publicè prædicare nec monacho conuenit, nec nouitio expedit, nec non miſſo licet. Idem in Epiſtola 324. ad Henricum

ricum Maguntinum archiepiſcopum, de Rodulpho, qui Iudæorum neci delatus fuerat conſenſiſſe: Homo ille, inquit, de quo agitur in literis veſtris, neque ab homine, neque per hominem, ſed neque à Deo miſſus venit. Quia ſi ſe monachum, aut eremitam iactat, & ex eo ſibi aſſumit libertatem, vel officium prædicationis, poteſt ſcire, & debet, quòd monachus non habet docentis, ſed plangentis officium, quippe cui oppidum carcer eſſe debet, & ſolitudo paradiſus. Hic verò à contrariis & ſolitudinem pro carcere, & oppidum habet pro paradiſo. O hominem ſine pectore, ô hominem ſine fronte: cuius ſtultitia eleuata eſt ſuper candelabrum, vt appareat omnibus, qui ſunt in domo. Tria ſunt in eo reprehenſione digniſſima, vſurpatio prædicationis, contemptus Epiſcoporum, homicidij approbati libertas. Hæc velim expendant animis ſuis monachi noſtri temporis, qui paſſim per oppida, per pagos, per agros diſcurſantes, publicis concionibus populum non tam docent, quàm ad ſeditiones, atque tumultus commouent, imò Regibus ac Principibus violẽtas manus afferunt. Idem Bern. epiſt. 221. ad Ludouicum Regem. Profectò ſtabimus, & pugnabimus vſque ad mortem, ſi ita oportuerit, pro matre noſtra armis, quibus licet, non ſcutis, & gladiis, ſed precibus, fletibúſque ad Deum. Non igitur caſtris, congreſſibus, & conflictibus bellicis, ſed amicis, humanis, piis religioſiſque cœtibus, ſynodis, atque colloquiis, non vociferationibus, ſed precibus mutuis, ac diſputationibus, modeſtiæ, chari-

tatísque Chriſtianæ plenis, & hæreſes tolluntur, & vera religio defenditur. Non inquam turbarum, & buccinarum bellicarum, ſed turbæ, & buccinæ illius veræ argenteæ .i. verbi diuini ſono, ac prædicatione, vera religio confirmatur, ac ſtabilitur, ſuperſtitiones, & errores tolluntur. Silēt, vt vulgò dicitur, leges inter arma. Sic ſilent inter eadem Martis horrentia arma iudicia, ſilet religio, quæ armis iſtis non accendi, ſed extingui potiùs in animis hominum ſolet. Quis enim ibi religioni locus eſſe poteſt, vbi cædes, rapinę, ſtupra, adulteria, vis violenta, quæuis tetra & immania ſcelera, atq; flagitia deſignantur? Veſtræ igitur cùm pietatis atque charitatis Chriſtianæ, tum prudentiæ, atque ſapientiæ erit, vt non aqua, & igni, non ferro & flamma, non armis, teliſque vos inuicem deſtruere, ſed potius vt mutua pœnitentia, exemplo, mutuis precibus, colloquiis, cohortationibus, admonitionibus amicis, & beneuolis, cùm publicis, tum priuatis, vos inuicem inſtruatis. Quòd ſi ciuiles & politicæ controuerſiæ non vi & ferro, ſed iure, iuſtis, atq; legitimis iudiciis & arbitriis decidendæ ſunt, ac componendæ, quantò magis religionis controuerſiæ non ferro corporeo, ſed gladio illo ſpirituali hoc eſt verbo Dei, tolli, & decidi debent.

Nolite igitur quæſo per Deum immortalem diutiùs ſequi conſilium imperitorum medicorum, qui vulgò empirici vocantur, qui medicamentis ſæpe vtuntur violentis, quæ ad corpora potius corrumpenda, atque perdenda, quàm ſananda valent. Eiuſmodi medicamentum eſt bellum,

lum,quo omnia complentur ſanguine, cædibus, funeribus,ſceleribus: mala autem,vt ſunt ſuperſtitiones, errores, opiniones falſæ, diſſidia, hic non tolluntur,ſed corroborantur,donec tandem totum quaſi Reipub. corpus corrumpatur, atq; intereat.

Scio tamen quædam bella eſſe iuſta & neceſſaria:ſed quòd ad te attinet,chariſſima ſoror,non dubito quin bella ciuilia quibus tandiu & tantopere conflictata es,tibi fuerint exitioſa, & ſiquidem continuarint,futura ſint exitioſiſſima.

Diſſenſiones de religione olim in primitiua Eccleſia, grauiſſimè exarſerunt, plurimæ hæreſes,in orbe Chriſtiano volitarunt, quibus etiam Imperatorum quidam fuerunt infecti. Quid tũc egerit Eccleſia, hiſtoria plena eſt exemplorum. Animaduertebant viri illi ſapientes hæreſim eſſe opinionem quandam, quæ ſedem, & domicilium ſuum haberet in mente, & eſſe rationis quãdam falſam,fallacem,& fucatam imaginem, quæ non niſi vera ratione deleri poſſit. Indicta igitur,& coacta fuerunt concilia,accerſiti,& cõuocati fuerunt ex omnibus orbis Chriſtiani partibus viri,theologię,& literarum ſacrarum periti,cùm doctrina & eruditione,tũ vitæ,morumq; ſanctitate clari,& illuſtres,qui ex verbo Dei cõtrouerſias illas deciderunt.Hoc pacto ceſſit tandem opinio ſcientiæ,vmbra luci, falſitas veritati, ſophiſtica veræ rationi. Idem hodie quoque fieri potuit. Non eſt igitur, quòd exiſtimemus, religionem chriſtianam adeò eſſe obſcuram,implicatam, dubiam, & inuolutam, vt in concilio

aliquo,siue generali, siue nationali, verbi lumine,atque canone non illustrari,explicari,&euolui possit.Habet illa certa, & indubitata sua principia,axiomata,conclusiones.Eadem ratio, quæ expedit nodos & difficultates in iuris prudentia, idem in theologia præstare poterit.Itaque tantò melius,facilius, atque commodius, quod lex diuina ab ipso Deo omnis fallaciæ,& falsitatis experte profecta, ac proinde ei simillima nullam in se antinomiam, discrepationem, & contradictionem contineat, cùm leges humanæ contrà ab hominibus profectæ propter ipsorum legumlatorum, aut etiam vnius à se ipso diffidentis inconstantiam, ac leuitatem,varias in se contradictiones cõtineant. Iniuria fit maxima Legi diuinæ,quæ se ipsam lucem appellat, si quis credat illa homines non posse illuminari.

At negant nonnulli opus esse Concilio,sectãdam esse Ecclesiam, illam errare nõ posse.Contrà constat ante & post Christi aduentum, eum populum qui vocatus est Ecclesia Dei, grauissimis erroribus laborasse.Maiores nostri cùm politici,tum Ecclesiastici,multos ante annos,atque secula de orbis Christiani superstitionibus, erroribus, abusibus, opinionibus peruersis, vita, atque moribus impuris grauissimè conquesti sunt:& idcirco illos corrigendi, emendandi,tollendi gratia concilium aliquod liberum, & legitimum indici vehementer & ardenter exoptarunt. Vt omittam plura, & antiquiora exempla Ludouicus 12.(qui Henrici III.vltimi tui ex gẽte Valesia Regis proauus,maternus,& pater patriæ

triæ ob paternam & incredibilem erga illam charitatem cognominatus fuit) in corrupto, deprauato, exulceratóque rerum politicarum, & ecclesiasticarum st..u, hoc saluberrimo remedio vti voluit, quæ etiam Maximiliani I. Imper. erat voluntas, atque sententia. Ac consilium quidem Turonibus primum, mox Pisis, deinde Lugduni coactum est, vbi & multa in Pontificem statuta sunt: cùm ille interea impios prophanósque omnes pronuntiaret, qui huic concilio interesant. Interim hic Pontifex pacem cum Ludouico simulans, omnia illius opprimendi consilia captabat, qui edicto publico, se decreta cœtus Basiliensis & Constantiensis in Gallia tueri profitebatur. Et pōtifex vt Pisarum cœtum dissolueret, alium ad Lateranum indixit, consilio Ludouicum opprimendi. Primo patrum cœtu, qui fuit quinto Nonas Maias, anno 1520. Egidius Viterbiensis Augustiniani ordinis præfectus, vir cùm morum sanctimonia, tum eruditione, & eloquentia clarissimus, luculentam, & prolixam orationem statim ab initio habuit, in qua pro sua pietate, & singulari dicendi facultate de Ecclesiæ, de religionis, de vitæ, morúmque extrema, perdita, profligatáq; improbitate grauissimè conquestus est, tum de synodorum vtilitate, fructu, ac necessitate, pie sapientérque multa disseruit.

Hunc itaque Regem laude dignissimum, cùm in aliis plærisque rebus, tum in hoc quoque Rex hic tuus imitatur: ita vt nō minus quàm ille meritò pater patriæ appellari debeat. Nec verò il-

lum tamen, ſed alios quoque prædeceſſores, omnéſque Chriſtianiſſimos Reges, & Imperatores, qui vnquam extiterunt, hac in parte egregiè, maximáque cum laude imitatur, quod Synodum expetit, tanquam optimum pacis, tranquillitatíſque perfugium, (ſi quidem ritè celebretur) exacerbatos hominum animos ſanandi, & mitigandi, à bello ad pacis, tranquillitatis, & charitatis ſtudium reuocandi, quaſuis de religione cõtrouerſias, quoſuis errores, hæreſes, ſuperſtitiones, & abuſus ex eccleſiæ tollẽdi, & mores corrigendi, & emendandi remedium, & inſtrumentũ. Idem ergo omnes qui vel minimum cùm publicæ, tum priuatæ ſalutis cura tanguntur, exoptare & à Deo aſſiduis precibus & votis ardentiſſimis debent contendere: non autem præfractè cum ſuo Rege Synodum legitimam procurante bellum gerere.

Omnes etenim illi, quemadmodum omnium ætatum atque ſæculorum exempla, hiſtoriæ, & annales teſtantur, qui Regiæ, & Imperatoriæ dignitati, poteſtatíque reſiſtunt, grauiſſimas tandem & atrociſſimas pœnas luunt. Nam (vt ex innumerabilibus exemplis, quæ paſſim in antiquis literarum monumentis occurrunt, vnicum tantùm proferam) cui, qui vel primoribus labris antiquas hiſtorias deguſtauit, non eſt notiſſimum, omnes ad vnum illos, qui Iulium Cæſarem vel ſua manu, vel ſuo conſilio, atque conſenſu interfici curarunt, miſerrimè intra trienniũ interiiſſe, & vel ſibi ipſis mortem conſciuiſſe, & eadem, qua illi mortem attulerant, manu vitam ſibi exhauſiſſe

hausisse, vt Brutum, Cassium, vel ab aliis occisos fuisse, ita vt nullus eorum vltrices Dei manus euaserit: quum tamen conspirationis illius, atque cædis, multæ, & graues viderentur fuisse iustęque causæ? Ac de Bruto quidem, qui præcipuus eius cædis auctor fuit, sic scribit Valerius Maximus: M. Brutus, inquit, suarum prius virtutum, quàm patriæ parentis parricida fuit. Vno enim facto & alias in profundum præcipitauit, & omnem nominis sui memoriam inexpiabili detestatione perfudit. Quòd si igitur Iulij illius Cæsaris cædem, qui tyrannus, qui libertatis Ro. oppressor habitus fuerat, qui vi, & iniusta ratione, regnum illud inuaserat, qui veræ religionis expers fuerat, Deus tam grauiter, atrocitérque est vltus, quantò grauius, & atrocius Deus vlciscetur omnes eos, qui vim bellúmque inferunt iis Regibus, atque magistratibus, qui sunt Christiani, quíque iusta, legitimáque ratione, honorem illum suum, atque munus fuerunt consecuti? Hoc autem libentius C. Iulij Cæsaris exemplo prę innumeris aliis vsus sum, quòd hic tuus Rex clementia, lenitate, & mansuetudine, rei militaris peritia atque gloria, & aliis virtutibus, quibus imperator ille olim floruit, illi est simillimus. Quem vt Deus saluũ & incolumẽ quàm diutissimè conseruet, & ab omnibus insidiis liberet, pij omnes & tui amantes, assiduè precantur.

Sed quid opus est vel exterorum, vel antiquorum exemplorum longa commemoratione? An non experientia quotidiana in hoc ipso tuo Rege atque regno plurima tibi horrenda iræ, &

vindictæ diuinæ exempla ſuppeditat, quæ Deus tibi proponit, ad te ab iſto nefario tuo conatu deterrendum. Omnes fere illius hoſtes, qui non tam illi, quàm ipſi patrię bellum indixerant, plus profectò, quàm ipſe optarat, pœnarum dederũt, miſerriméque interierunt. Vos igitur, qui illorum facta, contumaciam, perduellionémque imitamini, an non quæſo exitus iſtorum exitiales perhorreſcitis? Ergo vel hęc ipſa grauiſſima ſeueriſſimáque iuſtitię diuinę exempla breui tempore in pertinaces, obſtinatóſque illius, ſeu patriæ potius, hoſtes edita, te meritò ad hunc tuum Regem, tibi diuinitus, lege patrię, lege ipſius naturæ datum, recipiendum, & omni amore, beneuolentiáque amplectendum extimulare debent.

Cogita quæſo, ô Gallia ex quot, & quantis illum Deus ante, & poſt dignitatis huius Regię adeptionem inſidiis, atque periculis admirabili ratione extraxerit, quàm graues & atroces pœnas dederint omnes illi, qui huiuſmodi illius dignitati, atque ſaluti inſidias ſtruxerunt, quíque illi exitium interitúmque moliti fuerunt. An non vel hoc ipſum ſatis magno grauíque eſt argumẽto, Deum illum diutius regnare, & ad plura adhûc, & maiora oper[a] reſeruare velle, quum illum ex tot, tantíſque periculis eripuerit, & conſeruarit.

Ne igitur, vos obtector, ô Galli, per Deum immortalem, ſi vel minima veſtrę, patrięque ſalutis cura, & amore tangimini, illum furore quodam effrænato, & indomito quem Deus facillimè tandem, horrendúmque in modum domabit

dictis

dictis, factísque lædere, ac persequi, illíque resistere pergatis, ne in diuinam, grauissimam & ineluctabilem iram incidatis. Illum igitur tua potius obedientia, & obsequio placare, quàm contumacia, & rebellione tua, non illius tantùm, sed Dei, totius familiæ Borboniæ, tot Principum, Ducum, nobilium, procerum Regni, qui illi fauent irritare, & ad maiorem furorem prouocare debes. Patiens is quidem, immò patientissimus adhuc fuit, sed læsa patientia sæpe fit furor, & quidem furor iustissimus. Solomon Rex sapientissimus in prouerbiis suis docet, quàm graues sint Regum manus. Nec verò in Regum tantùm, sed Dei ipsius iram, & furorem funestissimum incurrunt omnes ij, qui Regibus etiam duris, & acerbis, nedum qui clementibus & benignis obedire recusant: quid dicam qui necem etiam illis adferunt? Itaque miserrima adhuc & tristissima fuit, & in posterum quoque erit illorum sors atque conditio, qui Regis tui vitæ insidias struunt. Ille inimicissimis, ac infestissimis quibusque suis hostibus parcit, & ignoscit, imò benignè facit: & tu, ô scelus immane, illum tui amantissimum odio prosequeris, illi repugnabis, armis, bellóque illum appetes, & infestabis? omnes tuos conatus ad illius perniciem comparabis? Quòd si igitur hic tuus Rex te non modò nullo affecisset beneficio, nihil in te boni contulisset, sed etiam plurimis & grauissimis te læsisset iniuriis, tamen iniurias has illi meritò (sicut illum vides facere) remittere, & condonare, ac cum illo in gratiam redire deberes. At cùm prę-

tereà Rex hic tuus ſit tibi patris loco, ſine deteſtando certi parricidij ſcelere illi reſiſtere non poteris. Quòd ſi is qui impius eſt in patrē priuatum, ceu parricida, Deo hominibúſque inuiſus, omníque ſuppliciorum genere digniſſimus cenſetur, quantò magis is qui in patrem patriæ, ac proinde in ipſam patriam, veluti monſtrum quoddam, atque portentum, ad inferos vſque relegandum, exiſtimari debet? Ipſa natura nos docet, vt nobilitati, hoc eſt, iis qui ex antiqua nobiliſque familia ſunt procreati, faueamus. Ergo tu quoque hunc tuum Regem, ex Regio genere tam materno quàm paterno, ex Regibus illis tuis antiquis, & priſcis procreatum, non potes non ſine magno impietatis crimine aſpernari. Non ſolùm enim in Ludouicum illum Sanctum, ſed in omnes Reges illos antiquos, & priſcos, Merouingos, Carolouingos, & Capeuingos, ſeu Capetios, in omnes Reges Francicos, & Nauarrenos, graui ſe ingratitudinis ſcelere obſtringunt, illorum quaſi manibus inſultant, qui hunc Regem ab illis oriundum, hanc illorum propaginem, virtutis maiorum illorum ſtrenuum imitatorem, non debita obſeruantia, atq; obedientia proſequuntur, quíque illum vel minima aliqua iniuria lædunt, vel lædere cogitant.

Iam verò illi, qui Eccleſiæ, religioniſque Romanæ nomine, atque prætextu, ne licam fuco, atque ſimulatione, nouo huic tuo Regi, & ipſius, regníque totius officiariis, proceribus, optimatibus, atque principibus (qui Regis huius partes fideliſſimè, conſtantiſſiméque ſectātur, quorum etiam

etiam pleríque Ecclesiæ, religioníque Romanæ ſunt addictiſſimi) tanto ſtudio, tantóque conatu, atque contentione reſiſtunt, & id optimo iure ſeſe facere exiſtimant, animis ſuis (quos Deus illuminet) etiam atque etiam diligenter velim reputent, quàm pertinax, & obſtinatum hoc illorum cum iuſto legitimóque ſuo Rege, cum iuſtis legitimiſque Regni, patriæque ſuæ principibus belligerandi ſtudium (cui morigerari potius, & obſequi debuerant) ei ipſi, quam profitentur, quam iactitant, de qua gloriantur, cuius acerrimi tutores, & propugnatores haberi volunt, Eccleſiæ, religioníque Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ planè, & ex diametro repugnet, ac aduerſetur, id quod vel luce ipſa meridiana luculẽtius eſt, atque manifeſtius. Quòd ſi Eccleſia illa ipſa Romana ad quam Paulus Apoſtolus ſcripſit reuiuiſceret, non modo non tuum hunc Regem reiiceret: ſed toto animo amplecteretur, qui doctrinam in illa epiſtola & in omnibus ſacris libris contentam reuerenter colat.

Nam quæcunque Paulus Apoſtolus in ſua Epiſtola Rom. Eccleſiæ credenda propoſuit, de Deo vno eſſentia, trino perſonis, de Dei natura inuiſibili, eius potentia, iuſtitia, miſericordia, prouidentia immẽſa, cuius ſpeculum, atque theatrum eſt mundus, ea Rex tuus credit, & amplectitur.

Quæcunque Paulus in illa Epiſtola eccleſiæ Romanę tradidit de Chriſto Dei Filio vnico, vero Deo, & vero homine, de duabus eius naturis, de eius officio regali, ſacerdotali, & prophetico,

de eius Incarnatione, natiuitate, paſſione, morte, ſepultura, reſurrectione, aſcenſione in Cœlos, ſeſſione ad dexteram Patris, interceſſione, & deprecatione, de toto redemptionis humanæ negotio, eius effectu, atque fructu ſalutifero, ea Rex tuus credit ex animo, & amplectitur.

Quæcunque S. Paulus in Epiſtola illa Eccleſiam Rom. docuit, de Spiritu Sancto, de eius diuinitate, energia, virtute, efficacia, donis, atque muneribus, iis Rex tuus fidē ex animo adhibet.

Quæcunque S. Paulus in hac Epiſtola Romanæ Eccleſiæ neceſſario credēda ad ſalutem propoſuit de hominis ſeu humani generis extrema, propter apoſtaſiam primorum noſtrorum parentum, miſeria, corruptione, ac deprauatione, de peccato (cui totum genus humanum eſt obnoxium) originali, & actuali, de peccati ſtipendio, hoc eſt, morte prima, & ſecunda, cui ſimiliter vniuerſum genus humanum addictum eſt, & mancipatum, ea quoque Rex tuus verè credit,

Quæcunque Paulus de Lege diuina, vitę morúmque moderatrice optima, peccati teſte, & accuſatrice grauiſſima, iræ, & mortis operatrice docuit, iis Rex quoque tuus fidem adiungit, cui lege Dei nihil eſt prius, & antiquius.

Quæcunque Paulus Apoſtolus, in illa ipſa Epiſtola, S. Spiritus inſtinctu, & afflatu, Eccleſiam Romanam docuit, de hominum æterna electione, prædeſtinatione, vocatione, iuſtificatione, regeneratione, ſanctificatione, glorificatione, in, per, & propter Chriſtum, reparatione denique, & inſtauratione, éa quoque Rex tuus ex animo credit

credit & amplectitur.

Quæcunque Paulus Apoſtolus, Romanæ Eccleſiæ tradidit, de Euangelio Dei, ſiue Chriſti, quod eſt potentia ad ſalutem omni credenti, iis quoque cum animi gaudio Rex tuus aſſentitur.

Quæcunque Paulus Apoſtolus Eccleſiam Ro. docuit, de miniſterio, ſeu munere, & officio Eccleſiaſtico, de verbi diuini .i. legis, & Euangelij prædicatione, de Sacramentis, iis quoque Rex tuus ex animo aſtipulatur.

Quæcunque S. Paulus Apoſtolus præcepit de Dei voluntate, de Fide, ſpe, charitate, de pœnitentia, de omni virtutum genere, de vniuerſo Dei cultu externo, & interno, ea Rex tuus ſibi quoque dicta putat.

Quæcunque Paulus Apoſtolus, in hac ſua Epiſtola docuit, de Eccleſiæ conſtitutione, atque collectione ex Iudæis, & gentilibus, de Gentium vocatione miſericordiſſima, maximæ partis Iudæorum reiectione iuſtiſſima, iis quoque Rex tuus fidem adiungit.

Quæcunque Paulus Apoſtolus, in hac ſua Epiſtola Eccleſiam Romanam docuit, de ſtatu politico, de magiſtratus, & ſubditorum mutuis officiis, iis quoque Rex tuus aſſenſum præbet.

Quæcunque poſtremò Paulus Apoſtolus, in hac Epiſtola, vt etiam in reliquis ſuis Epiſtolis, S. Spiritus reuelatione Eccleſiæ Romanæ tradidit, de ſecundo Chriſti aduentu, de extremo illo die, atque iudicio, de mortuorum reſurrectione, de vita æterna, ea quoque credit, atque ſperat, atque adeò ad illa aſpirat Rex tuus toto pe-

ctore.

Quoniam ergo Rex tuus hos à me commemoratos prę̧cipuos, maximéque ad ſalutem neceſſarios articulos, à S. Paulo Eccleſię doctore cùm in reliquis, tum in illa prę̧cipuè prę̧ſtantiſſima ad Romanam Eccleſiam ſcripta, & data Epiſtola, explicatos amplectitur, approbat, confitetur, quis quęſo erit tam impudens, tam audax, imò tam impius, qui illum verę Religionis & verè Catholicæ, & Apoſtolicæ cultorem, ciuem, atque membrum eſſe neget? Et quonam ore Eccleſia Romana, quæ nunc eſt, hunc tuum Regem hæreſeos nomine inſimulabit, qui illam ipſam doctrinam tenet, quam vetus illa Eccleſia Romana à Paulo Apoſtolo edocta olim tenuit & profeſſa eſt? Nam ſi hæc ab illa vetere deſciuit, non eſt quod conqueratur. Si Rex tuus veterem illam Romanam ſequi malit. Si neget ſe deſciuiſſe quid habet quod cum tuo hoc Rege expoſtulet?

Inficiari præterea nemo poteſt, non paucos hodie ritus, cæremonias, opiniones, atque dogmata in Eccleſia Romana, vt nunc eſt, locum habere, & vigere, quorum in priſca, & veteri illa Eccleſia orthodoxa, Apoſtolica, Romana, vſus non fuit, quorum Paulus Eccleſiæ, illius veteris Romanæ doctor, non modò in hac ſua ad Eccleſiam Romanam Epiſtola, ſed in omnibus reliquis ſuis Epiſtolis οὐδ᾽ ἐ γρὺ, nullam, ne minimam quidem mentionem fecit, quę ſilentio minimè profectò prętermiſiſſet, ſi illa quoque ad ſalutem neceſſaria iudicaſſet, in quibus tamen hodie plurimi

rimi proram, & puppim, vt ita loquar, pietatis, religionis, atque ſalutis collocant. Hęc, quę paulatim poſt Conſtantini pręſertim tempora in Eccleſiam irrepſerunt, ſi Rex tuus tanquam primitiuæ, & antiquæ illi Eccleſiæ Religioníque orthodoxæ, Apoſtolicæ, Romanæ non omninò conſentanea, non ſtatim approbat, & amplectitur, niſi prius edoctus fuerit veris ſolidíſque rationibus, illa antiqua illi Eccleſiæ, religioníque congruere, & conuenire, id profectò ei nō vitio, ſed laudi potius eſt vertendum.

Moribus antiquis, inquit ille, ſtat res Romana, viríſque: ſic multò verius, iuſtioríque de cauſa veram Eccleſiam Romanam dicere poſſumus cēſendam eſſe potius ſtare antiqua religione, & vita, & antiquis viris, Apoſtolicis, & martyribus Romanis. Confer quæſo illā, quæ hodie eſt, Eccleſiam, religionémque Romanam, cum antiqua, veteríque illa Eccleſia, & religione, quæ Apoſtolorum temporibus extitit, tantum, velis nolis, cogeris fateri, inter vtrámque eſſe diſcrimen & interuallum, quantum inter lucem, & tenebras, adeo vt hic locū habeat ille verſiculus de eo qui Romā in media Roma quærebat: Et Romæ in Roma nil reperit media.

Dies aliquem citius, quàm oratio deficeret, ſi ſingulos antiquę illius Eccleſię, religioníſq; Romanæ ritus, mores, & dogmata, cum eius quæ hodie eſt ritibus, moribus, & dogmatibus cōferre vellet. Itaq; aliquot antè ſæculis viri doctrina, pietatéque præſtantiſſimi, de Eccleſiæ religio-

nisque Romanę corruptelis,erroribus, moribus ambitione & luxu grauissimè cōquesti sunt. Legas quæso S.Bernardi Epistolas, ad Innocentiū, ad Eugenium, ad Clerum, ad Curiam Romanā, & multos alios,scriptas : ex quibus facilè intelliges,quantopere iam illo tempore Ecclesia Romana à religione, vita,ac moribus antiquæ, priscæ, & primitiuæ illius Ecclesiæ Romanæ deflexerit. Epistola.230. ad 3. Curiæ Romanæ episcopos inter alia sic scribit: Hinc quidem eratis cōtra Apostolum Petrum, 1.Pet.5. dominantes in Clerum, imò & contra coapostolum eius Paulum, 2.Cor. 1. dominabamini fidei totius orbis: at nunc nouum aliquid addidistis, vsurpātes amplius, & in ipsa Religionem. Quid restat nisi vt adiiciatis & ipsis angelis sanctis dominari? Passim idem Pontifices Romanæ Ecclesiæ, non Petri, sed Constantini successores, & successores quidem plurimos, imitatores autem paucos esse ait. Quod si S.Bernardus reuiuisceret, quanto iustiorem ille, & ampliorem haberet de Ecclesia Romana conquerendi causam, quæ ex illo tempore(vt omnia humana semper in deterius vergunt, quo mundus hic propius ad occasum suum accedit)longè corruptior,& deterior euasit.

Duplex igitur omnino, vt ex præcedentibus constat, Ecclesia simul, atque religio Romana statui debet. Vna vetus, quæ priscis Apostolorū tēporibus floruit:altera noua, qualis fuit post illa prisca tēpora,& nunc est etiam multis cùm erroribus,& superstitionibus,tum vitæ,morúmq; vitiis

vitiis contaminata, vt illius ipsius sectatores plurimi, iam aliquot annis, imo sæculis, & hodie quoque confiteri coguntur.

Rex itaque tuus pro pietate sua, atque prudentia, nouam hanc, & hodiernam religionem, ecclesiámque Romanam, ad antiquæ illius Romanæ, & simul ad præstantissimarum aliarum quæ iisdem temporibus extiterunt: (cuiusmodi fuerunt Hyerosolymitana, Antiochena, Ephesina, &c.) nitorem, puritatem, & integritatem, nō vi, atque ferro, sed verbo Dei, & legitimo liberóque aliquo cōcilio reuocari, ac reformari vehementer cupit, vt deinceps non Romana vel Religio vel Ecclesia, sed Christiana & Religio & Ecclesia meritò dicatur: & ipse tuus Rex se libenter subiiciat non Romanæ sed Christi Ecclesiæ. Ecquis enim dubitat quin distinguenda sit Ecclesia particularis (cuiusmodi esset Ecclesia Romana etiam Reformatissima) ab vniuersali & Catholica illa Ecclesia quæ est corpus Christi mysticum?

Hac in parte antiquissimi, & piissimi martyris S. Cypriani vult sequi cōsilium, quod his verbis exprimitur. Epist. 74. ad Pompeium. In compendio est autem apud religiosas & simplices mentes, & errorem deponere, & inuenire, atque eruere veritatem. Nam si ad diuinę traditionis caput, & originem reuertamur, cessat error humanus, & sacramentorum cœlestium ratione perspecta, quicquid sub caligine, ac nube tenebrarum obscurum latebat, in lucem veritatis a-

peritur. Si canalis aquam ducens, qui copiosè prius,& largiter profluebat,ſubitò deficiat,nonne ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noſcatur? vtrúmne areſcentibus venis, in capite vnde ſiccauerit, an verò integra inde & plena procurrens in medio itinere deſtiterit? vt ſi vitio interrupti aut bibuli canalis effectum eſt,quò minùs aqua continua perſeueranter ac iugiter flueret,refecto & confirmato canali,ad vſum,atque potum ciuitatis, aqua collecta eadem vbertate,atque integritate repręſentetur,qua de fonte proficiſcitur. Quod & nunc facere oportet Dei ſacerdotes, pręcepta diuina ſeruantes, vt ſi in aliquo mutauerit, & vacillauerit veritas,ad originem dominicam, & Euangelicam, atque Apoſtolicam traditionem reuertamur, & inde ſurgat actus noſtri ratio, vnde & ordo, & origo ſurrexit,&c.

Quum igitur Rex hic tuus, iuxta conſilium & ſententiam Cypriani, vehementer expetat recurrere ad ipſum fontem doctrinę Apoſtolicæ, & ad ipſam Eccleſię Chriſtianę originem,vt verè & ſanctè Eccleſia reformetur: proculdubio iniquiſſimè à ſuis ſubditis Eccleſiæ Catholicæ prętextu oppugnatur,contra ipſius verę Eccleſię Catholicę rationem, à qua illi, ſuo hoc facto, probant ſe eſſe alieniſſimos. Quinetiam incurrunt in omnia illa vitia quę Paulus Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos grauiſſimè & ſanctiſſimè reprehendit:quę nolo ſigillatim commemorare, ne hæc mea Oratio ad inuehēdum potius quàm

ad

ad congratulandum comparata esse videatur.

Paulus Ecclesię Romanę ciues hortatur, vt quoad fieri potest, in pace viuant, vel pacem colant cum omnibus hominibus. Egregia ergo scil. hęc eorum est fides, & religio Catholica, Apostolica, Romana, qui cum Rege tuo pacis amantissimo, cũ reliquis regni proceribus, & ciuibus bellũ semper gerere, quàm pacem colere malũt. Paulus Ecclesię Romanę ciues omnes ad potestatibus, & magistratibus etiam Ethnicis, & barbaris (qualis tunc temporis fuit Nero monstrosę, ac portentosę crudelitatis tyrannus) tanquam ordinationi diuinę obediendum, & obtemperandum, ad timorem, honorem, tributa, atque vectigalia illis reddenda, grauissimè adhortatur. Idem ad Titũ: Admoneto illos, inquit, vt Principibus, & potestatibus subiecti sint, vt magistratibus pareant, vt ad omne opus bonum sint parati, ne de quoquam maledicant, ne sint pugnaces, sed humani, omnem exhibentes mansuetudinem erga omnes homines. Idem 1. Epistola ad Timoth. c. 2. quam Romæ scripsit. Adhortor, inquit, ante omnia, vt fiant deprecationes, preces, postulationes, gratiarum actiones, pro quibusuis hominibus. Pro Regibus, & quibusuis in eminentia constitutis, vt tranquillam, & beatam vitam degamus, cum omni pietate, & honestate. Quòd si igitur Apostoli, Regibus, Principibus, ac magistratibus etiam Ethnicis, & crudelibus, à religione Christiana, & orthodoxa alienissimus, amorem, & obseruantiam, tributa, quan-

tumuis grauia præſtari, & exhiberi volunt, preceſque pro illorum ſalute ad Deum fundi, cogita, ac reputa animo tuo, quàm procul abſint à religione Catholica, & Apoſtolica, illi qui iuſto legitimóque tuo Regi, omni virtutum Chriſtianarum genere ornatiſſimo, Regni proceribus, Principibus, ac magiſtratibus Chriſtianiſſimis, non ſolùm non iuſtum, debitúmque amorem & honorem deferant, ſed illis etiam vim, bellum, iniurias, perniciémque conãtur inferre. Paulus Eccleſiam Romanam monet, vt ſibi caueat ab iis, qui diſſidia, diſcordias, atque ſcandala in Eccleſiam inuehere conantur: quíque non Chriſto Ieſu, ſed ventri potiùs ſuo ſeruientes, blanditiis, & aſſentationibus ſuis malitioſis ſimplicium mentes perſtringere, atque ſeducere conantur. O vtinam vos omnes, qui de Eccleſia, & religione Cath. Apoſt. Rom. tantopere gloriamini, ſapientiſſimo huic S. Pauli conſilio obtemperantes, non ita furioſorum, & turbulentorum quorundam hominum, ſuum potius lucrum, atque commoda, quàm Dei gloriam, patriæque ſalutem quærentium, verborum illecebris, atque lenociniis vos ſeduci, decipi, falli, & in impia, & ſacrilega hac veſtra aduerſus iuſtum, legitimúmque veſtrum Regem rebellione, & contumacia confirmari, atque corroborari patetemini.

Qua de cauſa illi ſunt laude digniſſimi Regni tui Principes, Proceres, Magnates, & Nobiles, qui licet eam profiteantur doctrinam & religio-

nem

nem Ecclesię Romanę, quę nunc est: tamen Regem hunc tuum constantissimè fidelissiméque aduersus omnem vim & iniuriam defendere: atque adeò sanguinem suum pro illius salute profundere non dubitant.

Nonne vides quoque populum Rom. & Italiæ principes, ac ciuitates quasdam florentissimas, de nouo hoc tuo Rege honorificentissimè sentire, & loqui, ei bene velle, & bene precari, valdéque de noua hac dignitate gratulari, qua illum dignissimum arbitrantur?

Quoniam igitur à Regis tui partibus stant leges patrię, stant consuetudines, & instituta maiorum, stat æquitas, & iustitia, stat ratio, stant præcipui Regni ordines, atque proceres, stant etiam externi orbis Christiani Principes, & ciuitates multæ, stat Deus ipse, de statu illius conuellendo ne cogitare quidem sine maximo scelere potes. Deum rogo vt eorum qui adhuc ei aduersati sunt & mentes illuminare, & corda emollire, atque flectere velit ad hunc suum Regem agnoscendum, & iusta debitáque beneuolentia, obseruantia & obedientia colendum.

Aperite igitur, quæso, nec diutiùs occludite, ô ciuitates Franciçæ, huic vestro Regi portas vestras, qui ingressu suo, atque introitu vobis pacem, tranquillitatem, concordiam, omniúmque bonorum copiam afferet, & grauissimas molestias, atque calamitates, quibus adhuc perfuncti estis, maximis bonis, atque commodis compensabit, proculdubio, atque resarciet. Nolite per

Deum immortalem, diutiùs introitu illum atq; aditu prohibere, ne in grauiorem Dei, Regísque vestri offensionem incurratis, & exitium vobis accersatis, interitúmque extremum. Regem & quidem Regem vestrum naturalem, & legitimum, immò patrem patriæ optimum, & clementissimum excepturæ, & reipsa experturæ estis, qui nō vestra bona, vestras fortunas, vestram seruitutem, vestrum sanguinem, sed vestram vtilitatem, vestrámque salutem exoptat.

Gaudete & lætamini vos Iudices, magistratus, vos Rerumpub. ciuitatum, atque prouinciarum præsides, quoniam Regem estis habituri omnis recti, iusti, & æqui, & peritum, & amantem, cuius opera, & consiliis fidelissimis, & sapientissimis, vobis in muneris, officiíque vestri iusta, legitimáque administratione vti licebit, illíque munerum, officiorúmque vestrorum laboriosissimorum, vestrarum virtutum, atque laudum non testem solùm, & spectatorem oculatissimum, & acerrimum, sed etiam quasi collegam, socium, & adiutorem, denique remuneratorem fidelissimum, ac munificentissimum estis habituri.

Exultate gaudio, atque lætitia vos Mineruę, atque Musarū cultores, vos Scholarum, & Academiarum (quæ quidem Ecclesię, atque Reipub. sunt seminaria) Rectores, atque Moderatores, vos Doctores, atque magistri, vos tyrones studiosi, atque candidati linguarum, artium, atque disciplinarum liberalium, quòd quasi alterum

Franciscum

Franciſcum, alterum Ludouicum S. hoc eſt Regem literarum, & ſtudiorum amantiſſimum, ſcholarum patrem, atq; patronum fideliſſimum adepti eſtis:& quòd hoc Rege literarum,ac literatorum amantiſſimo imperante, vobis ad intermiſſa, ſeu interrupta potiùs veſtra ſtudia, recolenda patet reditus: &, poſt diuturnas iſtas turbas, atque moleſtias, otij,atque pacis fructus vobis datur,ad artes veſtras celebrandas.

Gaudete & lętamini vos mercatores, & negociatores, quibus hoc Rege regnante, & nihil niſi pacem, & otium ſpectante, liberrimè rurſus mercaturas, & negotiationes veſtras(quæ ſilent inter arma) ſine fraudibus tamen, vſuris, fœnoribus,& illicitis artibus,licebit exercere.

O fortunatos vos vinitores, & agricolas,qui ſub hoc Rege pacis, otij, agriculturæ ſtudioſiſſimo,arma, haſtas,tela, in raſtra, ligones, vomeres,aratra cōuertere,& agros, vineáſque veſtras, horrendis iſtis bellis miſerum in modum deuaſtatas,& quarum horrendas, miſerandáſque depopulationes, antea luxiſtis, recolere, illarum fructibus pacatè, quietè, & tranquillè rurſus frui poteritis.

Incredibili gaudio, atque lætitia affici conuenit vos milites, duces, & capitaneos, quòd Regem vobis Deus dedit rei militaris peritiſſimum, qui forti, ac ſtrenua veſtra opera non aduerſus veſtram patriā, non ad ciuilia, & interna, ſed externa potius bella,eáque iuſta,legitima, ac neceſſaria gerenda,ad patriæ veſtræ fines partim

aduersus vim externam tutandos; partim propagandos, & amplificandos, vti est paratus, & à quo maxima vestræ fortitudinis, vestrorum laborum, atque periculorum, certissimáque vobis expectanda erunt præmia.

Gaudete vos Nobiles, Equites, Comites, Barones, quibus sub hoc Rege ac Principe nobilissimo, generosissimo, potentissimo, vobis antiquis vestris honorum, dignitatum, atque fortunarum priuilegiis, atque prærogatiuis rursus frui licebit, quíque debitis meritísq; vestrarum virtutum, atque rerum fortiter gestarum afficiemini præmiis.

Gaude, & exulta vulgus, plebs, multitudo infima, quia Regem habes benignum & mansuetum, ad quem facillimi sunt vel vilissimis & abiectissimis quibusque aditus, quo quidem aduersus omnem vim iniustam potentiorum, & opulentiorum tutissimo perfugio, & asylo vti poteris.

Gaudete & exultate omnes peregrini, inopes, viduæ, pupilli, miseri, afflicti, ærumnosi, & oppressi, quibus hoc vestro Rege tanquam patre, pastore, patrono, tutore, ac defensore optimo, ac fidelissimo vti, & sub eius tutela, patrocinio, & quasi vmbra pacatam, & tutam ab omni vi, iniuriáue vitam degere licebit.

Gaudete denique omnes pij, & boni, qui pietatis, honestatis, religionis & innocentiæ vestræ non solùm defensorem, sed etiam remuneratorem habebitis.

Sed

Sed vt huic meæ Gratulationi,& admonitioni fidelissimæ modum, seu finem potiùs (cùm modum iam dudum excessisse videar) imponam, te, ô Gallia, socia fidelissima, rursus mirum in modum rogo, atque obtestor: vt hoc meum officium ex animo tuæ dignitatis, & amplitudinis studiosissimo profectum, sereno vultu, atque animo accipias, méque in te amanda, colenda, & propugnanda constantissimam, antiquo tuo amore, fauore, beneuolentiáque prosequi pergas, tibíque planè persuadeas, me ad antiquam hanc nostram coniunctionem, quæ vtríque nostrum maximo adhuc cùm honori, gloriæ, laudi, & decori, tum præsidio aduersus omnem communium hostium vim fuit, tuendam & conseruandam, animo ac voluntate esse admodum procliui, constanti omnino, atque propensa. Idem de te habebo persuasissimum.

Te deinde, ô Rex serenissime, & Christianissime, oro, obsecro, & obtestor, vt maiorum, & prædecessorum tuorum exemplo, ac imitatione humanissima, me & patriam meam semper amori, curæ, atque fidei tuæ commendatam habeas: tibíque persuadeas, nos vicissim maiorum nostrorum exemplo & imitatione tuæ totiúsq; regni maiestatis, dignitatis, atque salutis similiter fore semper amantissimos, & ad illius defensionem, vel cum sanguinis nostri profusione paratissimos.

Tibi denique supplex etiam atque etiam, ô Rex Regum cælestis, & immortalis, cuius regnũ

immenſum eſt,& infinitum, nullis vel locorum, vel temporum terminis circumſcriptum, ac definitum, gratias ago, & habeo ingentes, quòd pro ſingulari tua miſericordia Regem Gallis ſociis & fœderatis meis fideliſſimis, & amiciſſimis dediſti, Francica, ſeu antiqua fide, & integritate præditum. Rogo te ſupplex, vt illos reſpicias oculo tuæ miſericordiæ, & animos illorũ mutuis odiis exulceratos, & exacerbatos lenire, mitigare, atque placare, & mutuæ pacis, atque concordiæ ſtudio,& amore inflammare velis,vt poſthac in pace, otio, & tranquillitate, mutua pace te colant atque venerentur, vt vitam poſthac pacatam, tranquillam, piam & honeſtam ſub tua tutela, ac clientela agant. Fac quæſo ſancti tui ſpiritus donis, atque muneribus Regem magis magíſque inſtituas, & augeas, quò hanc regni Franciſci nauem turbulentiſſimis iſtis tẽpeſtatibus ſapienter gubernare,& in quietis,pacis,atque ſalutis portu collocare poſſit.Fac quæſo,ſubditorum eius animos ad iuſtam debitámque beneuolentiam, obſeruantiam, & obedientiam ei præſtandam flectas. Te precor, vt Regem hunc ſancto tuo ſpiritu regere pergas, & Regem, regnúmque turbulentis, atque peſtiferis iſtis bellis,atque turbis liberes,& tu,qui verus es flexanimus, Regis & ſubditorum animos vero & ſyncero amore coniungere,ac deuincire, & omnes ſimultates, inimicitias,odia mutua tollere, & extinguere velis, vt tandem Dei miſericordia æternam,immortalem, & immarceſſibilem

lem gloriæ, & beatitudinis coronam consequatur. Fac, ô Deus, Rex gloriæ, fortis & potens, potẽs in prælio: Fac, inquam, vt Rex tuus, quem tu constituisti super populum populosissimum, lętetur semper in tua fortitudine, & in salute tua exultet vehementer, instrue, & arma illum tua virtute, vt hostes suos superare, vincere, & victor euadere possit. Des ei desiderium cordis, & locutionem labiorum eius non prohibeas, id est fac eum voti sui compotem. Des ei protractionem dierum, diuturnam vitæ vsuram, quò diutiùs patrię vsui esse possit.
Amen.

LAVS DEO.

